

1220
Ju



13583

1667 6a
6

7.7.
De

RATIONE STATUS REIP. GERMANICÆ

PARTEM PRIOREM,

Consensu Magnifici Jctorum Ordinis in Illustri
ad Albim Academia,

SUB PRÆSIDIO

RECTORIS MAGNIFICI

VIRI NOBILIS, EXCELLENTISSIMI, AMPLIS-
SIMI, CONSULTISSIMI;

DN. JOACHIMI NERGERI,

Gryphimonte Silesii, D. & Pandect. Prof. Publ. Curia
Electoralis, Scabinatus ac Facultatis Jurid. nec non Ducalis
Judicii in inferiori Lusatia Assessoris
Gravissimi,

Patroni sui summo observantia cultu atatem prosequendi,
Publicè placideq; ventilandam proponit

AUTOR

MATTHIAS Keller / Croppenst. Hemipolit.

In Auditorio Jctorum

Ad d. 5. Septembr. Octobr.

WITTEBERGÆ,

Typis MICHAELIS Wendt/

Anno M DC LXVII.

31.



Incluti Principatus Halberstadensis
Statibus Provincialibus

VIRIS

**MAXIME REVERENDIS, PERILLUSTRI,
GENEROSIS, NOBILISSIMIS, AMPLIS-
SIMIS, CONSULTISSIMIS,**

*Dominis suis gratiosis, Evergetis, Patronis & Pro-
motoribus suis humili observantia & obsequioso
officiorum cultu perpetim prosequendis.*

Nec non

VIRO NOBILI, EXCELLENTISSIMO, CONSULTISSIMO

**DN. ALBERTO WIPPERMANNO, ICTO,
Potentissimo Electori Brandeb. à Consiliis Provinc.
Halberstad., statuumq; Provinc. ibidem Syndico
Gravissimo, Meritissimo,**

*Domino, Benefactori, magnoq; Patrono suo
omni officiorum genere atatem colendo,
suspiciendo*

Ea qua par est, humili devotione,
prolixaq; officiorum delatione
in gratitudinis dudum debitæ
monumentum

D. D. D.

Matthias Keller.

Præfatio ad Lectorem.

Medicus verè doctus sanitatem hominis suæ fidei atq; industria commissi curatiùs conservaturus, primùm in ipsum hominis temperamentum inquirit, quo exactè cognito singularum partium quoq; rationem habet, & tum demùm membro, quod vel jam tum agrè habet, vel periculo proximum esse videtur, prospicit, quod tantò felicius peragere potest, quantò aptiora propter totius corporis cognitionem remedia partè agræ adhibere tutò audet, quæ media scilicet ita debent esse comparata, ut unà cum parte servant etiam totum. Ad eundem modum qui Reip. præesse, eamq; bene ac feliciter administrare volunt, illos non tantum leges, quæ, cum causis inter Cives decidendis à Magistratu latæ sint, Civiles dicuntur, sive Jus Privatum, nosse; sed id quoq; operam dare maximè oportet, ut Remp. in qua versantur, ejusq; statum habeant perspectum, ne ejus ignari ad functionem publicam prorumpant, ut asinus ad lyram, monente Dn. Carpzov. de L.R. in præfat. ad Lect. Et hoc ut in omnibus omnino Rebus publ. necessum est, ita in amplissima nostra Rep. Germ. per est necessarium. Quamvis enim ad summa illa munerum fastigia, quæ vel ipsi Imperatoria Majestati, vel toti Imperio operam locare solent, paucissimis saltem, iisq; præcipuè, quibus & genus & virtus meliora sinxere præcordia, pateat aditus, & maxima Consultorum pars vel in lateribus Principum atq; Statuum Imperij hæreant, vel etiam Urbibus consulant: Quemadmodum tamen in omni Rep. singulorum, sive partium salus quaritur propter salutem totius; ita de hisce Imperij partibus deliberari, nisi toto bene cognito, commodè nequit. Quare Limnæus in dedicat. ad Jus Publ. inter miserabiles personas refert eos, qui neglecto Jure Publico privati saltem Juris libris, tanquam adscriptitij suæ glebæ adherent, & si quando Reip. cura illis imponatur, omnia secundum leges privatas gerentes, quin ipsam Remp. Germ. ex Jure Publico Justiniano aestimantes, non parum sæpius detrimenti afferre ei solent; quod malum omne ex eo potissimum profluit, quod omnium ferme sit sententia, teneri Germaniam legibus Romanis eò, quod Rex Germanorum est Imperator Romanus, eaq; propter Statum Reip. Germ. ex Jure Romano petendum esse autument. Verumenimverò, si in id, quod res est, accuratiùs paulò inspiciamus, diversum longè nobis erit fatendum. Notum quippe est, non

à Roma Germanos, sed horum victricibus armis Romanos esse subactos, eosq; victos cessisse victoribus suis Germanis, adeò, ut ab Electoribus Germanie in Regem Germanorum electus, tanquam Caesar imperet Romanis. Victorem itaq; devictæ gentis legibus subicere foret iniquissimum. Et quamvis legum equidem Romanarum usus aliquis fuerit ultra 200. annos, & adhuc hodie sit in Judiciis Germanicis, obtinet tamen ille; quoad unanimi Germania consensu, leges istæ sunt receptæ, non, quatenus à Romanis sunt late. Ita magnam legum Romanarum partem in Hispania, Gallia, Britannia, quin in ipsa Turcia in usu esse notum est, in quibus tamen terris omnibus hæc leges non autoritatis, sed rationis saltem sunt loco, id quod de Gallia testatur Johannes Tilius lib. i. cap. i. de Rep. Gall., autoritas autem illis additur per eum, penes quem in Rep. est legum potestas, à quo quin antiquari iterum possint, nemo nisi Politicos planè rudis dubitaverit. Eadem ratio est in Germania. Neg; verò Germani in omnes indifferenter Justiniani tum publici, tum privati Juris leges, quasi normam quandam Reip., consenserunt, quod respectu legum privatarum testantur diversa consuetudines, diversaq; Jura statutaria in omnibus fere Provinciis & Civitatib; variantia. In Jure Publico verò evincit hoc diversitas Reip. nostræ, quæ ab Imperio Justiniani toto cælo differt, adeoq; leges sibi congruas requirit, quales sunt Constitutiones in Comitibus aliquot hætenus promulgatæ, & Capitulationes Imperatorum. Vid. Dn. Hahn Obs. ad Wes. Parat. ff. de J. & J. n. 14. Patescere nonnihil ex jam dictis potest, Statum Reip. nostræ non unice ex Legibus Romanis, ut multi somniant; sed ex aliis certè fontibus hauriendum, & si eum exactè addiscere velimus, inquirendum præcipuè esse; Quando & quomodo unius sceptrum revereri cæperit omnis Germania? Qua ratione deinde Imperium cum dignitate Imperiali ad eam translatum sit, quomodoq; post multifariè mutaverit, & eam, quam hodie gerit, faciem deniq; acceperit? Quæ omnia sane non ex Jure Romulidum, sed virtute Civilis doctrinæ ex historiis maximam partem sunt petenda. Observatum ejus aliquid est in hac Dissertatione, quantum quidem per temporis atq; Ingenij rationem licuit, Jure tamen Justiniano, ubi locus ei est, non neglecto. Neg; verò dubito, Candide Lector, quin varia mihi sint futura judicia. Alij forte in eo me accusabunt, quod nobilissimum hoc argumentum vel non dignè satis sit à me tractatum, vel multa videantur neglecta. Alij aliud rodent. Ita scilicet comparatum est hodie in omnifere orbe, ut nihil ab invidis malignorū atq; otiosorum hominum dentibus liberum esse queat: Imò multi questui habeant malè loqui etiam de melioribus. Caterum, si quos hoc modo vel affectus, vel aliud quid in trans-

versum

versum rapuerit, illi noverint, amplissimam hanc materiam una disputatio-
ne fusè satis satisq; dignè pertractari commodè non posse. Et suffecerit mihi,
si vel paucis saltem prudentioribus, iisq; cum primis, quibus hoc acceptum
præ aliis volo, non ingratum fuisse rescivero, id quod fore facile spero,
si meminerint, quod ab hac & aetate & vita mea exactissimam rerum Im-
perij notitiam & experientiam requirere nequeant: Multa quoq; in Rep.
nostra suppressere potius, silentioq; involvere, quàm in publicam Dispu-
tationem vocare, ipsa Ratio Status suadeat. Vale, benevole Lector,
& si quid deest, candore tuo suffice, reliqua boni consule.

CAPUT I.

Duo sunt, in quibus Civitatis beatitudo consistit, in
fine videlicet, & earum rerum, quæ ad finem ferunt, inven-
tione, ut habet *Arist. Lib. 7. Polit. c. 13. in pr.* Frustra namq;
finem Reip. proponas, nisi media ad eum ducentia & invenire &
adhibere oportuno modo & tempore noveris, id quod à *Scip. A-*
mirat. lib. 12. disc. 1. ad Tac. vocatur Regnativa prudentia; & à *Cice-*
rone dicitur Ratio Reip., quando *Ep. 14. l. 14. Fam.* ait: *Nève in rebus*
tam subitis, tamq; angustis à Senatu Consilium petendum putes: Ipse tibi
sis Senatus, quocunq; te Ratio Reip. ducet, sequaris. Itali postmodum
excogitarunt vocem Ragionamento di stato, per quam denotasse
eos salutem & necessitatē Reip. honestamq; administrationis Civi-
lis *σοφον πολιαν*, testatur *Bæcler. Orat. de Ratione Stat. inserta notis ad*
Vellej. Patere. pag. 91. Hos imitati Galli uti cœpere vocabulo la rai-
son d'Etat. Audita demum etiam fuit apud nos vox Ratio Status,
quæ est composita ex simplicibus, Ratio & Status. De simplicibus
his non multum erimus solliciti; Notum enim est cuilibet, quod
vocabulum Rationis significet 1. Rationem illam, quæ hominem
distinguit à bruto. 2. Codicem vel librum rationum *Rechnung.* 3.
Causam, si scilicet vera alicujus rei natura investigatur, diciturq;
hoc vel illud ex hac vel illa ratione se ita habere, & hæc ultima ac-
ceptio est hujus loci. Vox Status denotat 1. Conditionem cujusvis
hominis privati. 2. Statum rerum, & ita dicitur Status alius Eccle-
siasticus, alius Secularis, alius Oeconomicus. 3. Certam Reip. for-
mam, qualiscunq; ea sit, quæ tertia significatio huc pertinet. Vox
composita, Ratio Status, accipitur variè 1. sumitur pro arcano quo-
dam Reip. 2. Pro calliditate Reip. malè constitutæ extraordinario
modo

modo subveniendi. 3. Pro prudentia presentem Reip. formam conser-
vandi, & Remp. ad propositum finem perducendi. Quemad-
modum autem vocabulum Tyranni probum atque fidum Regem
primum denotans, significationem deinde improbi & crudelis
Principis sortiebatur, eò quod Reges degenerarent, & ex bonis
mali fierent; Ita quoque Ratio Status hodie quamplurimis est ars
callidè simulandi & dissimulandi, non saltem in gubernanda Rep.
ad commodum Reip., vel etiam solius Principis: Sed & inter pri-
vatos, adeò, ut si quis alium alicujus comodi gratia astu vel simula-
tione officii aut amicitiae circumvenire possit, ille Rationem Sta-
tus callere, & per Rationem Status id facere dicatur. Vid. *Præf. Pol.*
scel. imp. & Reink. Bibl. Polit. lib. 2. axiom. 36. & seqq. Quare optimè
Bæclerus in præfat. Orat. de Rat. Stat. Nomen Rationis Status, ait, in
ore populi celebre, fama inter doctos ambigua, intelligentia in aula-
rum & Curiarum secretis recondita, nisi quod genius seculi nihil secre-
tum esse patitur. Nos rejecta hac spuria, & missis reliquis acceptio-
nibus, tertiam potissimum significationem intelligimus, quam-
vis secunda etiam spectare huc ex parte possit, quando discur-
sum hunc nostrum inscribimus de Ratione Status Reip. Germ.
Neque enim nobilissimo huic argumento satisfacturi videba-
mur, visuri saltem, qualis esset Germaniæ Status, nisi simul inqui-
reremus, utrum bene haberet, an secus. Et sicubi malè haberet,
an, & quæ illi adhiberi possent remedia?

2. Non eandem autem semper faciem gessit Germania; Et ante
translationem Imperii nunquam uni Regi paruit, sed adeò feroci
animo libertati studuit, ut *Tacitus de mor. Germ. c. 37.* dicat; *Regno*
Arsacis acriorem esse Germanorum libertatem, cum tamen Arsacis sive
Parthorum Dominatus fuerit potentissimus, & omnibus fere for-
midabilis. Tametsi quidem populi Germaniæ propter animorum
ferociam non habuisse communem Remp. videri possent *ex C. J.*
Cæs. Comment. lib. 6. quia non cum vicinis saltem gentibus, verum
etiam inter sese bella perpetua gesserint; societates tamen quas-
dam junxisse eos verisimile est ex eo, quod his neglectis, hostibus
suis facillimè præda facti fuissent, quod contigisse tamen nusquam
legitur. Et verò, sicut nulla societas sine legibus consistere potest,
ita nec Germanos sine legibus & imagine quadam Reip. vixisse du-
bium non est, licet propter ruditatem & veræ virtutis ignoran-
tiam optimam Reip. formam non admisisse eos certum sit.

3. Propter

3. Propter nimium autem libertatis studium non potuit non
obtinere apud Germanos Status democraticus, qui tamen aristo-
craticè nonnihil fuerit temperatus. Cum enim populus rudis nimis
esset, nec sibi ipsi tum pacis, tum belli tempore prospicere posset,
majorem potestatem nobilioribus & prudentioribus imponere
coactus est, qui jus dicerent, & in multis aliis consilia suppedita-
rent; Hinc Principes in Conciliis eligebantur, qui jura per pagos
vicosq; redderent, quibus singulis centeni ex plebe Comites, con-
siliium simul & auctoritas, adfuerunt. *Tacit. de mor. Germ. c. 12.* Nec
vero Principibus illis jus fuit aut tributum suis indicendi, aut Le-
ges ferendi, multo minus pacis & belli arbitrium, neq; etiam de
summa Reip. quicquam constituere potuerunt; Sed hæc omnia ad
universale Concilium pertinuerunt, ubi etiam ex plebe delegati
una cum Principibus convenerunt. Dubium autem non est, quin
in his omnibus maxima vis & auctoritas Principum fuerit, quippe,
qui de minoribus rebus consultarunt; de majoribus autem præ-
tractarunt sive *πρωβουλίας* instituerunt, *Tacit. d. l. c. 11.* cujus quan-
ta vis sit, notum est ex Politicis.

4. Hic fere modus erat administrationis internæ. Quoties au-
tem bella gerenda erant, (erant autem illa fere perpetua:) Regium
quid Status Germaniæ admistum habuisse videtur. Cum enim vi-
derent Germani, bella administrari rectè, nisi uno imperante, non
posse, uni hanc potestatem committebant, qui ex virtute sumeba-
tur, & dicebatur Dux. *Tacit. c. 7.* eodem fere modo, quo apud
Græcos olim *Ἄστυνεται* constituebantur, & apud Romanos Dicta-
tores, de quibus *Halicarn. l. 5. hist. c. 11.* Et simile quid continere
hodie videtur Præfectura Hollandiæ, & Dignitas Ducalis Veneto-
rum, quamvis in multis etiam differant. Ducibus autem non erat
potestas animadvertendi in delinquentes, sed hæc competebat
Sacerdotibus, non quasi in pœnam, nec Ducis jussu, sed velut Deo
imperante, quem adesse bellantibus credebant *Tacit. d. l.* Mansit
hæc Germaniæ figura eò, donec à Romanis victi Germani, in Pro-
vincias redacti, & herilibus Magistratibus subjecti sunt, tunc enim
legibus Patriis uti illis non licuit, ut patet ex *Hottom. Franco-
Gall. cap. 3.*

5. Apud Germanos TransRhenanos, præcipuè vero apud Saxo-
nes, duravit ea usq; ad tempora Francorum. Pipinus enim, cum
Franco-

Francorum Regibus gentis Meroveæ otio torpentibus, ad Regiam
 dignitatem evheretur, Romani auxilium illius, eoque mortuo
 Caroli Magni opem implorarunt contra impotentem Longobar-
 dorum Dominatum. Postquam igitur pulsus ex Italia Longobar-
 dorum Rege Desiderio capto, totam fere Italiam Germanorum
 potestati subegisset & coronam Imperialem accepisset, Germanos
 etiam suo Imperio subiecit, destructisq; Deastris Ethnicis, ut
 Christo nomina darent, fecit. Et feliciter sanè omnia gesit, soli
 fere Saxones paulo acrius illi restiterunt. Erat Saxonia non uni
 subiecta, sed in tres societates distincta, quarum populi erant Ost-
 phali, Westphali, & Angrivarii. *Witichind. lib. 1.* Nec singulis his
 populis pacis tempore unus aliquis cōmunis Magistratus præerat,
 sed imminente bello Comitum aliquis, prout virtute major, in
 in sua gente Dux creabatur. Neq; trium horum populorum com-
 munitatis Dux eligebatur, nisi universali bello ingruente, quo per-
 acto æquo jure ac lege propria quilibet contentus potestate vive-
 bat, ut luculenter patet ex *Witekindo Corbeiensi*. Angrivariis
 præfuit *Witichindus*, Dux Belli fortissimus. Quamvis autem &
 libertatem & antiquum Deorum cultum totis viribus propugna-
 verint Saxones, victi tamen demum eandem cum Frisiis, Thuringis,
 Bajoariis & reliquis Germaniæ populis fortunam subire, tri-
 butumq; solvere jussi sunt, verum ad breve saltem tempus: Exitus
 nimirum belli felicior paulo fuit, de quo *Eginhardus l. de vita Ca-*
roli M. audiendus his verbis: *Ea conditione à Rege proposita & ab*
illis subscripta, tractum per tot annos bellum constat esse finitum, ut ab-
jecto demoniorum cultu & relictis patriis ceremoniis, Christiana fidei atq;
religionis Sacramenta perciperent, utq; Francis adunati unus cum eis po-
pulus efficerentur. Juncti igitur Francis Saxones, non ut penitus
 subditi, sed ut unius Reip. Cives. Poëta ille anonymus, autor an-
 naliū *Caroli M.* contractum hunc versibus his describit:

*At vero Censum Francorum Regibus ullum,
 Solvere nec penitus deberent, atq; tributum
 Cunctorum pariter statuit sententia concors.
 Tum sub iudicibus quos Rex imponeret ipsis,
 Legatisq; suis, permissi legibus uti
 Saxones patriis, & libertatis honore
 Hoc sunt postremo sociati fœdere Francis,*

Ut

*Ut gens & populus fieret concorditer unus,
ac semper Regi parens equaliter uni.*

6. Ex his omnibus apparet, Carolum M. ejusq; filium Ludovicum Pium, quem in Imperio sibi associaverat, non Gallia saltem, sed & Italia & Germaniae imperasse; Verum post obitum Ludovici Pii hæc omnia mutata sunt valde. Ludovicus enim vivus consortem Imperii assumerat filium Lotharium, quod causam dedit post mortem Patris ingenti bello inter fratres, donec tandem ita inter se convenerunt, ut Lothario Italia Provincia, & Lotharingia cum dignitate Imperatoria cederet; Carolus Regna Occidentalia à Britannico Oceano usq; ad Mosam teneret, & Ludovicus Regna Orientalia, omnem nimirum Germaniam usq; ad Rhenum, & aliquas trans Rhenum Civitates haberet, ut docent Annales Franc. ad annum 817. Et notandum hic ex Lehmann. *lib. 2. c. 46. Chron. Spir.* quod nemo Carolinorum postmodum Imperatoris titulo usus fuerit, qui non & Italia & Urbis Romæ Dominus esset.

7. Tamen quidem harum portionum minima erat ea, quæ Ludovico cesserat; cœpit tamen illa Majestatem & vim suam per omnem illam, quæ Lothario Cæsari obtigerat, partem & in vicina alia loca longè lateq; extendere, ut ita Germanico juri cesserit etiam Imperatoria dignitas, quod ex historiis notum est & videre licet apud Cl. Conring. *de Finib. Imp. Germ. c. 6. p. m. 39.* Extincta autem familia Carolina Imperium unanimi Procerum consensu traditum est Henrico Aucupi, Duci Saxoniae, qui strenuus fuit bellator, & res Imperii collapsas summa cum laude instauravit. Ut etiam populos Germaniae ad fortitudinem & virtutem instigaret, sanxit, ut primogenitis præ cæteris fratribus extra ordinem tribuerentur arma & bellica instrumenta parentis, das Heergerâthe. Coronam autem Imperialem non adeptus est, quippe ad obtinendam eam cum Romam tenderet, obiit Anno Regni sui 17. ut habet Otto Frising. *l. 6. Chron. c. 18.* Successit illi filius natus maximus Otto, dictus Magnus, qui à Principibus Imperii confirmatus & Aquisgrani ab Episcopo Moguntino coronatus est in Regem Germaniae Anno C. 936. de qua coronatione legimur Chronicon Hirsgaviense. Anno C. 962. Otto Italiam ingressus, cum Berengarium & Adelbertum Regno expulisset, Romam venit, ubi honorificè exceptus, & acclamatione totius populi Romani & Cleri à Johanne

B

XII. Pa-



XII. Papa, coronam suscepit, & sic Imperator atq; Augustus appellatus est, uti constat ex Contract. Volaterran. & Frodoardo. Notandum hic obiter, sub hoc Imperatore Jus Saxonicum plenariè constitutum & confirmatum, inq; eo quætionem decisam esse, quod nepotes patris sui defuncti loco hæreditatem avi sui adire possent, quod Jus vocatur Repræsentationis, Cranz.

8. Hac ratione, postquam nomen Imperatorium ab anno 924. in omni occidente quasi evanisset, dignitas illa & Jura Cæsarea ad Reges Germaniæ devenerunt, ut benè illud observavit Couring. de Fin. J. G. c. 9. p. m. 91. & Otto Frising. Chron. lib. 6. cap. 22. Mansit hæc dignitas & potentia Germaniæ per Italiæ Regnum & Romanas reliquias inde ab hac Ottoniana occupatione usq; ad fatale illud post Friderici II. obitum ortum interregnum. Quamvis enim Henrici IV. tempore jam tum ingentes rupturas perpeffum erat Imperium, cui rei occasionem dederat tum infantilis Henrici IV. ætas, tum præcipuè Papa Gregorius VII. quo monstrum pejus & magis horrendum Roma non vidit, & meretur ejus nequitia legi apud *Christianum Matth. in vita Henrici IV.* Sanatæ tamen illæ erant magnam partem. Sed tempore Friderici II. & post eum omnia in pejus mutabantur. Respirabat nihilominus paulatim Germania à calamitatibus suis, quibus durante inter Regno miserè conflictabatur, cum Anno C. 1273. ab Electoribus in Imperatorem unanimiter eligeretur Rudolphus I. Comes Habsburgensis, cui originem debent potentissimi Cæsares, qui continuato fermè per 200. annos & ultrà, ordine è domo Austriaca electi fuere, & adhuc hodie dignitate illa Imperatoria gaudent. Coronam autem Imperialem à Papa non suscepit Rudolphus, quia non ignorabat, Majores suos sæpe magnis copiis ingressos Italiam, malè verò acceptos rediisse, ut loquitur *Christ. Matth. in vita ejus.*

9. Quia verò nimia superstitione & Reges & Principes semper adhærebant Papis, potestas Paparum non adeò fracta fuit, donec singulari Dei gratia purum Evangelii lumen affulgere nobis inciperet sec. superiori, sub Imperatore Carolo V. quo post Carolum M. potentiolem juxta ac prudentiolem Regem non habuit Germania, qui coronam etiam Imperialem Bononiæ accepit à Pontificè, post eum autem nemo. Cum itaq; multi potentes Principes & Civitates nomina darent puræ Evangelicæ Religioni, autoritas
Papa-

Papārum multūm imminuebatur; cum primis autem id factum est super. sec. per pacem Religiosam, & novissimè per Pacificationem Osnabrugensem & Monaster. nequicquam obstantibus Bulla Pontificis Innoc. X. & Protestationibus Fabii Chisii Nuncii tum Apostolici, nuperrimè autem defuncti Papæ Alex. VII. dicti, adversus pacem Osnabrugis & Monasterii conclusam interpositis.

10. Antequam autem hinc planè decedamus, paucis dispiciemus, 1. *Utrum dignitas Imperatoria ad Carolum M. translata sit hereditaria?* 2. *Quomodo à Caroli M. temporibus Imperatores & Reges Germ. ad Imperium pervenerint, utrum electione, an verò successione hereditaria?* Ad quæstionem primam adulatores Pontificum respondere solent, & Pipinum dignitatem Regiam Galliæ, & Carolum M. Imperatorium nomen à Pontifice habere. Quid de his statuendum, patebit ex sequentibus. Childericus Rex Francorum neglectis Regni curis otiosam agebat vitam. Videns hoc Pipinus Comes palatii, cum ad Regiam dignitatem adspiraret, rem felicioris exitus fore putabat, si sub prætextu Religionis eam quæreret. De ferebatur itaq; res ad Pontificem Zachariam, qui Regem Childericum detonso capite in monasterium detrudebat persuasis Francis, ut in Regem eligerent Pipinum. Deinde cum à Romanis Pipinus, & post eum Carolus in auxilium vocarentur contra Longobardorum impotentem Dominatum, pulsus Longobardis & capto eorum Rege Desiderio Imperatoriam dignitatem cum Italia bello Carolus acquisivit, Ipsa etiam Irene Imperatrix Constantinopolitana missis Legatis ad Carolum M. totum Occidentis Imperium ei concessit, ut testatur Cranzius. Præterea scribit Sigebertus, quod populus Romanus Carolo Regi Imperatorias laudes acclamaverit, cumq; per manus Leonis Papæ coronatum, Cæsarem & Augustum appellaverit. Aventinus Electionem Caroli describens, tenebat autē, inquit, *Carolus sc. omnes Provincias, quæ ad Urbem Romanam pertinebant: itaq; Anno C. 801. Leo Papa, Senatus & Populus Romanus illum designabant Imperatorem.* Addit Onuphrius, *Carolus Imperatorem à Romano Pontificè unctum, aureoq; diademate coronatum esse, more accepto ab Imperatoribus Orientalibus, qui à Patriarchis Constantinopolitanis, primariis Græcici Imperii Pontificibus consecrati, aurea corona redimiebantur.*

11. Ex his manifestum est, habuisse Carolum M. Imperium Romanum Jure Belli, Transactionis & Electionis; non autem accepisse illud à Papa, in beneficium; nec enim Leo Pontifex Dominus, sed minister tantum istius Coronationis fuit quippe jussu ac decreto Populi Romani, non verò propriâ autoritate ac voluntate illam peregit.

12. Succesit itaq; Carolus in jura Imperatorum Constantinopolitanorum, quorum dignitas cum fuerit hereditaria, dubium non est, quin eandem etiam Carolus acceperit, & ita translata fuerit in Francos Imperii Romani dignitas, ut non nisi penes Francorum Reges illa imposterum foret. Extincta familia Carolina in eadem jura successit Otto M. & qui eum secuti sunt usque ad Fredericum II. sub quo dolis & malignis Papparum artibus maximè imminuta est, in sequentibus etiam Imp. ita pedetentim decrevit Imperialis potentia & dignitas.

13. Vocamur jam ad alteram quæstionem, *Quo sc. modo Imperatores à Caroli M. tempore devenerint ad Imperium?* Factum illud est nec sola Electione, nec hereditaria successione sola, sed Electione restricta, sive cum hereditaria successione permixta. Electus namq; fuit Imperator ab omni populo, habita ratione nativitatis & familiæ pristinæ; ita Eginhartus: *Obit, inquit, Pipinus superstitionibus liberis Carolo & Carolomanno, ad quos successio Regni divino nutu pervenerat. Franci siquidem factò solenniter generali conventu ambos sibi Reges constituunt. Carolus autem fratre defuncto consensu omnium Rex Francorum constituitur. Eadem ratione Ludovicus Pius in societatem Regni à Patre assumptus, postmodum ei successit: Eginharti verba hæc sunt: Cumq; jam morbo & senectute premeretur Carolus, advocatum ad se Ludovicum Aquitania Regem, qui solus filiorum Hildegardis superaret, congregatis solenniter de toto Regno Francorum Primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius Regni & Imperialis nominis heredem constituit: impositiq; capiti ejus diademate Imperatorem & Augustum jusfit appellari. Cum itidem Ludovicus consortem Imperii assumeret filium Lotharium, factum illud est consensu & suffragio populi. Extincta demum Carolina familia idem observatum est in Electione Henrici Aucupis & post eum Ottonis. Luitpr. lib. 7. c. 7. testatur Conradum Imperatorem morti jam vicinum ita allocu-*

allocutum esse Proceres: (*Henricum, Saxonum & Thuringorum Ducem prudentissimum, Regem eligite, Dominum constituite.*) Et Wittekindus lib. 1. sub finem hæc habet verba: (*Henricus Rex, cum se gravari jam morbo sensisset, convocato omni populo designavit filium suum Ottonem Regem.*)

14. Mansit hæc in Regno Germaniæ succedendi ratio usq; ad Henricum IV., qui cum esset infans quatuor præterpropter annorum, ambitio Gregorii VII. Papæ ingentem excitavit turbam. Eò quippe Proceres Imperii adegit, ut spreto Henrici IV. pueri Imperio communi consensu probarent, ut Regia potestas nulli per hereditatem cederet, sed filius Regis, etiamsi valde dignus esset, per Electionem spontaneam, non per successionis lineam proveniret. Si verò non esset dignus Regis filius, vel si eum nollet populus, quem Regem facere vellet, in potestate haberet populus; verba sunt auctoris Belli Saxonici. Post tempora deniq; Friderici II. liberrima cœpit obtinere Electio, nulla ratione habita pristinae familiæ; Et tum jus Eligendi Imperatorem ad septem Electores venisse videtur; nec enim, ut vulgo creditum est, numerus septem Electorum ab Ottone III. Imp. & Gregorio V. Papa institutus est, quam sententiam primus optimè refutavit Onuphrius Panvinius, libello suo de Comitibus Imperatoriis. Nulla etiam, neq; Ottonis III. neq; Gregorii V. Papæ reperitur de institutione septem Electorum Constitutio: Quin potius ab Ottone III. usq; ad Fridericum II. Imperatores non saltem septem illorum, sed aliorum quoq; Principum suffragiis electos esse certos nos faciunt *Otto Frising. l. 6. c. 27. 28. l. 7. c. 22. Abbas Urspurgensis in Chronico ann. 1053. 1106. & Sigebertus in Chron. ann. 1176.* Confirmata hæc eligendi potestas septem illis Electoribus primum fuit à Carolo IV. per A. B., eò quod Imperator videret, certum hunc & exiguum eligentium numerum facere ad evitandas altercationes.

15. Ex his itaq; patet, quomodo Germania habuerit ante & post tempora Francorum usq; ad nostra. Liqueat etiam exinde, Regnum Germanicum primum fuisse partim hereditarium, partim Electivum; postmodum verò introductam esse liberam electionem.

CAPUT II.
DE MAJESTATE IMPERII
GERM.

DE Majestate Reip. Germ. differere, & certum quid de ea definire arduum non minus est negotium, quam periculosum. Videmus enim quotidie, quam variè de ea disputent homines doctissimi, alii Imperatori nimium tribuentes, alii omnia ei adimenes. Nos media via incedentes de eo saltem erimus solliciti, quod res ipsa atq; veritas efflagitare videbitur.

2. Est autem hic nobis Majestas summa potestas administrandi Remp. Germanicam ad finem propositum; qui est salus totius Reip. consistens magnam partem in libertate. Dividi à nonnullis solet Majestas in Realem & Personalem, quibus post Brautl. Boxhorn. & alios adstipulatur Grasyvinckelius, vir aliàs summè doctus. Quæ divisio si obsequium parentium cum Imperantium Majestate confundit, subditisq; summam potestatem in Principes & Reges suos tribuit, variis etiam factionibus, ipsorumq; Regum & Principum cadibus atq; parricidiis occasionem dare solet, & multas absurditates parit, rectè ea est explosa, & etiamnum hodie à doctissimis viris refellitur.

3. Certum tamen est, Majestatem duobus modis teneri, aut scilicet absolutè, aut limitatè seu conditionatè. Primo modo integrum imperium Majestati permissum est, ut pro lubitu ea de quacunq; civili re possit disponere. Altero modo certis pactis conventis limitatur & conditionibus circumscribitur, quas in actionibus observare tenetur. Absolutè Regem Germaniæ Majestatem nec unquam habuisse, nec hodie habere, dubitandum non est. Tenebit igitur illam limitatè. Fuère scilicet omnes totius ferè Europæ, cum primis verò Germaniæ populi libertatis tenacissimi, nec unquam Imperium absolutum ferre potuerunt, quamvis Regum alii magis, alii minus restrictam habuerint potestatem. Cum primis vero superiori sec. in electione Caroli V. arctius quodammodo limitata fuit potestas Regia. Videbant enim Serenissimi Electores, quantis aliorum Regnorum viribus polleret Carolus; quæ itaq; potentia ne Germaniæ ejusq; Proceribus periculum afferret, strictiores ponendæ erant

erant conditiones, in quas Carolus in Imperatorem eligendus juraret. Erat quidem eligendi Imperatoris promissum ad obligandam fidem sat validum: Verùm, cum hominum mentes & ingenia fluctuent nonnunquam, addebatur religionis vinculum, juramentum scilicet, quod Imperantis urgeret conscientiam, arctiusq; pacta contineret; qui mos dudum à multis populis fuit observatus; & adhuc hodie in Rep. Germ. observatur. Manet nihilominus Majestas penes Imperatorem. At verò, non de omnibus Imperii rebus solus constituit, sed in multis consensus Ordinum adhibendus est, ut fieri solet in legibus Imperii ferendis, bello totius Imperii nomine decernendo, cura Religionis & aliis, quæ omnia non exiguum momentum Majestati detrahere videntur? Ita est: in his omnibus requiritur Consilium & consensus Statuum; Manet tamen Majestas integra Imperatori. Solent nimirum boni & prudentes Principes, etiam quando absolutè regnatur, modum Imperii statuere, & illud juratò fit in limitato Regno; An autem eos Majestatem non habere dixeris? Minimè.

4. Duobus verò modis Imperantes obligari posse, autor est Grotius *l. 1. de J. B. & P. c. 2.*, ut scilicet Obligatio cadat vel saltem in exercitium actus, vel directè in ipsam facultatem. Prius limitat, non autem tollit Majestatem. Posterius in Imperio nostro factum esse nemo dixerit, qui non simul Majestatem destructam velit, quæ tamen lucidior & eminentior esse debebat reliquis exterorum Regum Majestatibus. Enimverò indivisibilis est Majestas, & omnia ejus jura habentur conjunctim tam in mista, quam in simplici Republ. Et si unum eorum desit, Majestas evanuit, nec aliquod jus, sive pars aliqua Majestatis decerpi potest absq; destructione totius. Habent tamen Proceres & Ordines Imperii multa, quæ Majestaticum quid sapiunt? Habent, non verò pleno Jure, nec ita, ut superior Imperatoris potestas excludatur. Omnia autem ea Imperator tenet pleno jure & independentur. Neq; verò in Ordines ea, quæ tenent, jura translata sunt, sed communicata saltem cumulativè, non abdicativè ut testatur Schick. *de Jurisdic. concl. 7.* Manent igitur Imperatori omnia Majestatis Jura, licet nonnulla ex iis communicata sint Statibus, eoq; summam potestatem solus tenet.

5. Ergone leges Fundamentales, quæ vocantur, nullius sunt auctoritatis, cum tamen eligendus in Imperatorem sive Regem juret, se
secundum

secundum illas Romp. administraturum, adeoq; Leges illæ Rege superiores, illisq; Rex subiectus esse videatur? Bodinus *lib. 2. de Rep. c. 6.* Imperatoris Majestatem Venetorum Duci parem, imò inferiorem facit; eandemq; non parum obfuscare conatur Hippolitus à Lapide de Rat. Stat., qui liber ex magno quidem ingenio profectus, destruendæ autem Reip. Germ. aptissimus est. Et legi meretur, qui eum refutavit, Schluterus. Dn. Sprengerus in Jurisprud. publica de Electione Imperatoris p. m. 155. qu. An Capitulatio deroget Imperat. Majestati? respondet negativè hoc modo: (*Capitulationes servare non est obligari Statibus Imperij, sicut quidam putant; sed Majestati Regni obstringi, quæ Regno est innata, nec per decessum Principis exspirat, sed continuè durat, etiam vacante Imperio. Cui Majestati ratione constitutionis & translationis aliquando etiam actualis potestatis, gubernationis, & directionis intuitu aliquo modo Majestas personalis subjicitur. Quapropter Capitulationes servare, sicut vergit ad Imperij dignitatem, sic nec Majestati Imperatoris ullo modo aliquid detrahit.*) Quomodo hæc cohærent, Majestati nihil detrahi, eam tamen alteri subjici? Poteritne illud esse summum, quo datur superius? Summa potestas ea non est, quæ habet æqualem, multo minus, quæ alteri subiecta est. Sunt qui cum Besoldo discriminant subjectionem conservativam ab obstructiva. Et Majestas atq; subiectio in unò eodemq; subiecto eodem tempore eodemq; respectu non magis consistere queunt, quàm aqua igni inharere potest, quæ uti se mutuo tollunt, ita subjectionis patientia Majestatis expellit gloriam. Majestas Realis sive Reip. nulla est juxta Roland. à Valle *consil. 1. n. 138.* nisi simul Electoribus tertiam quandam Majestatem tribuere velis, eamq; reliquis duabus superiorem, quia penes illos solosest eligere Imperatorem: An autem ex eo dixeris Imperatorem habere Majestatem ab Electoribus? Minimè. Est scilicet summa potestas, indivisibilis, eaq; immediatè à solo Deo est: neq; summitatem tollit Electio, aut Capitulatio jurataq; fides. Eligitur namq; in Imperatorem ab Electoribus persona ante electionem statu & dignitate in Imperio ipsis eligentibus æqualis, pactumq; hi cum æquali ineunt, quod juramento confirmat eligendus, ne postmodum jurisjurandi memor Imperii habenas nimis laxet. Simul autem electus Majestatem à Deo adeptus est, pactum servat, Religione ac supremi Numinis metu.

6. Pote-

6. Poteritne verò Imperator deponi? Eligitur scilicet Imperator ab Electoribus certis conditionibus, quas servaturum se eligendus jurare tenetur; Quod si igitur Imperator Reip. negligat, aut promissa non servet, eorundemne, quorum est eligere, erit etiam exauctorare? Reink. l. 1. cl. 1. c. fin. Principes sine discrimine deturbandos statuit, cum quo facit Georg. Buchan. de Jure Regni. Verum enim verò, eximia de Rep. merita ut Majestatem non causantur, ita neglecta reip. cura eam non tollit. Quod si verò submissis admonitionibus posthabitis negligentiam aut incuriam illam non deponat Imperator, tertium dabitur remedium, si scilicet ei aliquis adjungatur. Quemadmodum enim Imperatori decrepito, quod propter ingravescentem ætatem fascibus Imperii gerendis non sufficiat, reclamanti etiam adjungi potest alius, qui dici consuevit Rex Romanorum, Capitul. Leopold. §. 36. quin idem liceat propter socordiam & incuriam Imperatoris eradicatu impossibilem, dubitandum non est. Sed quid de perfidia Imperatoris sentiendum? Stephanus Junius Brutus in Vindiciis contra Tyrannos seditiosam valdè fovet sententiam; & Arnis. lib. de potest. in Principes semper inviolab. ex conventionis legibus Principem depelli Imperio posse existimat; Item Grasvink. dissert. de Jur. Maj. c. 11. statuit, Regem, qui datam Reip. fidem frangat, ipso Jure excidere statione, in quam erat subvectus. Verum, hanc sententiam hic refutare operæ precium fortè non fuerit. Fiat autem Imperator perjurus, frangat fidem, An ideo fides ei non servanda, & obsequium denegandum, vel planè dignitate Imperatoria exuendus? Negamus utrumq;. Cogitur quidem Imperator promissa juratò servare, nisi per jurii acerrimam vindictam expectare velit à supremo Numine; Judicem autem præter Deum neminem inter subditos suos agnoscit, nec pœnam præter divinam vindictam. Conring. de Regno th. 29. Non autem solvit vincula subditorum perjurium Imperatoris, sed tenentur parere subditi: Nec enim imperat Imperator, quia juravit, neque parent subditi ex pacto; sed Imperii causa proxima est Deus, ut obsequii obligatio immediatè ab Imperio descendit, & tenentur obedire subditi Imperatori, quia Imperium habet; Nusquam autem in omnibus Capitulationibus Cæsareis hanc inveneris cautionem, Imperatorem fidem frangentem debere exauctorari; Sed Secre-

C

tiora



riora Consilii Status tangere, cum meum non sit, manum de tabulâ traho.

7. Quid verò si libertas Reip. perjurio Imperatoris periclitetur? Hic res non adeò videtur esse expedita. Quo autem ea fiat clarior, libertatem distingvimus in eam, quæ vocatur conscientia, & Civilem. Turbatur illa præceptis inhonestis, & coacta abnegatione veritatis Evangelicæ. Hæc machinationibus statum reip. nostræ limitatum in absolutum vel planè Tyrannicum converturis. Neutram invadere licet Imperatori; non illam, quia in hominum conscientias nihil ei potestatis competit, sed reservavit eam sibi Deus, dum edicit, danda simul esse Deo, quæ Dei sunt: adeoq; Stephanus Rex Poloniæ dicere solitus est, hæc tria sibi soli reservasse Deum, *ex nihilo aliquid facere, nosse futura, & dominari conscientis*: item Curt. lib. 8. ait, *mentium Regem solum esse Deum*. Non hanc, quia ita non obtineretur Reip. finis, qui est salus Civium omnium & singulorum, consistens cum primis in libertate quadam. Cave autem libertatem hic dixeris, cum vulgo licentiam arbitrio tuo & more tibi placito vivendi, nulliusq; potestatem agnoscendi. Vivere enim suo commodo & libidini convenienter, vitiosum est. Vera nobis libertas hîc est, vivere juxta leges ex usu Reip. sanctitas, parendo Magistratui non serviliter; *neg, autem servitus putanda est, vivere reip. convenienter, sed salus*. Arist. l. 5. Pol. c. 9. & D. Thom. lib. 5. Pol. lect. 7. Habeat itaq; Majestatem Imperator solus, non tamen omnia Majestatis jura solus tenet, sed multa cum eo Status Imperii habent conjunctim. Ponamus autem, Imperatorem omnia illa sibi soli arrogare, de Legibus, de Bellis, de Religione solum disponere, multaq; alia, quæ communi Statuum atq; ordinum consensu fieri debebant, solum exercere, & ea quibus libertati Germaniæ insidiæ fiant, moliri: An propterea destituendus, & neganda erit ei obedientia? Negandum illi præfractè obsequium non putamus, differendum tamen spe melioris eventus. Præmonendus erit Imperator reverenter & submissè, ut ab hac violentia desistat fidei juratæ memor.

8. Magis ea, quæ jam dicta sunt, procedere in libertate Conscientiæ, certum est, quæ versatur cum primis circa verum Dei cultum & orthodoxam fidem. Commissa scilicet est Majestati à Deo Sacrorum cura, sed non indifferenter. Quatuor namq; Sa-
crorum

crorum nomine venire solent potissimum: Primum est ipsa vera fides. Alterum externus Religionis cultus. Tertium Personæ illi cultui singulatim dicatæ. Quartum res & Bona ad religiosum cultum necessaria. De tribus ultimis infra agemus, primum hic saltem contemplaturi, quid scilicet circa veram fidem liceat Majestati? Et ut rem paucis complectamur, Præcepta fidei tradere, vel quicquam de illis, quæ Deus ab initio usq; mundi intellexit nostro in sevit, & postea jussit, immutare, ut nemini hominum licet, ita nec Majestati Civili fas est. Cum enim Salvator noster alia ab Apostolis doceri prohibuerit, quæ homines æternæ salutis ergo observare debeant, quàm, quæ antè ipse præceperat; omnemque illum salvatum iri promiserit, qui fidem illis dictis adhibens baptizaretur, quin imò anathema dixerit cœlestibus etiam Angelis, Evangelizantibus quicquam præter id, quod ipse docuerat, hoc est, si illi ad salutem obtinendam necessaria dixerint esse illa, quæ ipse non exegerat, *Gal. 1.* manifestum utiq; est, Christianam fidem neq; addendo quicquam, neq; imminuendo, nec quovis alio modo immutari ab homine quopiam posse, adeoq; novos fidei articulos, vel Sacramenta gratiæ divini condendi potestatem aut uni aut pluribus hominib; tribuere detestabile foret atq; impium. Una siquidem est fides, eaq; immutabilis.

9. Animus saltem est videre, quid Imperator possit in Imperio Germ. circa Religionem? Præcepta fidei tradere eum posse, negatum est supra. Anne verò propagare veram Religionem potest? Antequam respondeamus, paucis videbimus, quid in hac re liceat Majestati omnibus numeris absolutæ. Habet maximè Majestas potestatem circa sacra ab ipsa natura, ejusdemq; autore Deo, cum competat illi omne id, sine quo scopus Reip. obtineri non potest. Dn. Hahn. *in disput. ad Cod. 2. tit. 28. ait: Maxime in Rep. fidelium sive Christianorum officium Magistratus Civilis est, habere Ecclesiæ custodiam: non modo negativè, ne Politia cum fide pugnet; sed & Positivè, per actus externos, cultum divinum fovendo, promovendo, jubendo, quod utile & necessarium.* Per se equidem & propriè Religio necessaria est ad felicitatem æternæ, non hujus vitæ consequendam. Non parum tamen facit etiam ad conservandam societatem Civilem; id quod jam tum Ethnici quoq; observarunt, & notum est

C 2

vel

vel ex solo Cicerone, dum Pietate sublata, inquit, fides etiam & societas humani generis & una excellentissima virtus iustitia tollitur v. de Nat. Deorum.) Et Tacitus 3. Annal. ait: (Numa Religionibus & jure divino populum desinxit, effecitq; ut fides & Jusjurandum civitatem melius, quam Legum pœnarumq; metus regeret.) Lactantius lib. de ira Dei cap. 1. ait; (Religioni est propria iustitia.) & Symmachus l. 10. ep. 54. (solo sacramento, inquit, Principes tuti sunt: sublato autem Dei metu, qua religione mens falsa tenebitur, ne in testimoniis mentiatur?) Quare vocatur à Plutarcho (coagulum omnis societatis & fundamentum Legislationis) non ineptè.

10. Competit itaq; potestas circa Sacra Majestati Civili, quicquid ogganniant hic Pontificii de Summa circa sacra Majestate Papæ divinitus concessa, quæ omnis meris figmentis innititur. Annitendum proinde Majestati est, ut vera & orthodoxa Religio in Rep. conservetur & propagetur. De Religione armis oppugnata, quin etiam armis defendi possit & debeat, dubitare non licet. Quomodo verò propagari verus Dei cultus debeat, de eo solet disputari. Nos vi & armis fieri illud posse negamus. Invaditur enim ita hominis conscientia, cujus imperium sibi soli reservavit Deus, ut supra dictum. Idemq; agnovit & confessus est Imperator Maximil. II., cujus hæc præcipuè laudantur verba: (Nullum enormius peccatum dari posse, quàm in conscientias imperium exercere velle; Qui enim conscientias imperare volunt, eos arcem cæli invadere, & plerumq; terra possessionem perdere.) Manifestum illud est vel ex hoc uno, quod Evangelium docere, non vi & armis imperare jusserit Salvator. Distinguit hic quidem Laimannus inter gentes & hæreticos, inquit, solo verbo & predicatione Evangelij nulla vi adhibita gentes, sive, qui baptizati non sunt, convertendos: hæreticos autem mandatis ac minis, etiam pœnis reducendos esse. Sed absq; fundamento. Fatemur enim & nos, gentes sive paganos magis equidem & pleniori Evangelij predicatione & informatione egere; Non tamen exinde sequitur, hæreticos, sive eos, qui in uno vel altero fidei articulo hallucinantur & errant, nulla adhibita informatione minis atq; pœnis in viam redigendos esse: Et refutatur Laimannus verbis S. Marci c. 16. dicentis: (Missos esse à Christo Apostolos ad predicandum Evangelium omni creatura.) & Matth. c. 18. dicitur, quod missi sint ad docendum omnes

omnes populos. Non soli igitur Pagani, sed omnes homines, consequenter etiam heretici sive errantes docendi sunt, nisi fortè solas gentes fuisse omnem creaturam dicere malis, quod tamen absurdum. Paulus etiam 2. Cor. 10. ait: *Arma militia nostra non carnalia sunt.* Et Lactantius lib. 5. Inst. cap. 20. *Non est opus vi, quia religio cogi non potest; & ibid: Si tormentis, si malo religionem defendere velis, jam non defendetur illa, sed polluetur & violabitur. Nihil est enim tam voluntarium, quam Religio; in qua si animus aversus est, jam sublata, jam nulla est.* Nec ferit nos hic Exceptio Niehusii, dum in Prologo ad Allatum de Jobanna Papissa n. 11. sic scribit: *Aliud sunt gentes, de quibus Christus loquitur, & aliud est Christianorum illud genus, ad quod Lutherani pertinent, de quo Christus ibi non loquitur.*) Fortè, quia Lutherani jam tum Ecclesiae sunt subditi. Quasi verò non eadem, vel etiam major cura habenda sit subditorum, quam exterorum, cum primis in rebus conscientiae. Eodem enim modo Majestas Civilis se habet erga subditos, quo Pater erga liberos. Eleganter haec omnia illustrantur in S. Scriptura per Parabolam de Pastore ovem amissam quaerente, qui cum oviculam illam errantem invenisset, non mutilabat aut occidebat eam, sed humeris illam asportando restituebat gregi.

II. Manifestum ex his esse putamus, quid liceat Majestati circa Religionem. Paucis adhuc dispiciendum, *quid liceat subditis, si fortè propter agnitam fidei veritatem patientur injuriam; vel si armis & cecidibus ab ea, quam fovent, Religione non vera fortè ad aliam rapi debeant?* Prius hujus quaestionis membrum facile clarescit ex universali illo DEI mandato: *Plus Deo esse obediendum, quam hominibus;* Alterum obscurius paulo esse videtur, dispiciemus tamen etiam de eo. Concessa nimirum est Regi à Supremo Numine Majestas super aliquem populum, ut vicarium DEI officium in gubernanda gerat Republica, eaq; dignitate utatur in utilitatem totius Reip.; reservavit autem sibi Deus imperium in ejusvis hominis conscientiam, quoniam salva & intemerata ea servanda est, non propter salutem civilem, sed beatitudinem aeternam, quae in nullius hominis est potestate. Est proinde Regis Jus summum quidem, sed certum atque determinatum; Et simul subditorum conscientis limites ponere conatur, involat sacrilegè in Reservata Majestatis Divinae, caelum terra misturus, nec sine poena. Parere quidem tenentur Regi

subditi, quamdiu commissa sibi à Deo munia decenter obierint simulac verò brachia extra commissæ potestatis clathros extendit, Deo magis, ut dixi, obediendum est atq; Magistratui in iis, quæ impia jubet, nihil cedendum. Si verò injusta scilicet quæ cum Legibus, æquitate atq; pactis pugnant, præcipit, ferenda illa sunt atq; sedulo cavendum, ne libertatis prætextu seditiosa agitentur consilia, cum & morosis Dominis obsecundandum sit *1. Petr. 2. Proverb. 24. v. 21. V. M. Dunte in Casib. Conscientiæ C. 18. Sect. 3. q. 26. f. 920.* ceterum hoc additum volo, posse Majestatis participes, uti sunt Status Imperii Romano-Germanici, si in suis Episcopalibus juribus turbentur, pro salute publicâ & religionis libertate armis repugnare. *1. Maccab. 1. & 2. M. Prückner in Manuali Q. Q. Theolog. Cent. 1 q. 19.*

12. His ita præmissis quilibet facile viderit, quid statuendum de Imperatore Germ., quippe, qui in hoc etiam Majestatem tenet limitatam, pertinet scilicet cura Religionis non ad solum Imperatorem, sed ad Comitatus inde potissimè à tempore Pacificationis Religiosæ sup. sec., quod videre licet tum ex Recessibus aliquot, tum ex tabulis Pacis Osnabrug. & Monasteriens.

13. Dicitur jam est de Majestate Imperii Germ., & ostensum, quod Imperator illam teneat, limitatè tamen, & in multis in partes vocare teneatur Principes & Status Imperii; Est igitur Resp. nostra Monarchica aristocraticè temperata. Manet namq; summa in Rep. potestas Imperatori, *D. Blum. Proceß. Cam. tit. 25. n. 33.* Et ab hac summa, tanquam fonte & scaturigine derivatur omnis, quam Principes & Ordines in suis exercent ditionibus, potestas, quæ vocari solet Superioritas, die *Hohe Landesfürstl. Obrigkeit / Hohe Landes-Obrigkeit*; de qua nunc paucis.

DE SUPERIORITATE STATUUM.

14. In historia Francorum Provinciarum gubernatores sub Imperio familiæ Carolinæ ut plurimum vocantur Comites, rarò Duces. Non erat enim ea, quæ Principum hodie est in suis Provinciis, tum temporis potestas, nec hereditaria. Sed Magistratus Provinciarum erat duplex, Ecclesiasticus & Secularis; Illi præficiantur Episcopi circa sacra occupati. Hic iterum duplex erat, Ordinarius & Extraordinarius; Ordinarium gerebant Judices, dicti Graviōnes, Comites; Et si qui erant Duces, Comitum potestate utebantur; Faciunt huc, quæ habet Marquardus Freh. *in Comm. de Lupoduno p. 12. Erat tam temporis, inquit, (ætate sc. Pipini & Caroli M.,)*

Franco-

Francorum ditio totaq; Germania vetus in pagos distributa, singulisq; pagis, quibus unus Comes prepositus, sua villa, inter quas precipua Comitum domicilio cedebat, in qua sedem & aulam suam, quam Saalam ipsi vocabant, tribunalq; & auditorium, quod Mallum illis, haberet, ubi more majorum jus diceret. Quamvis verò hæc Comitum dignitas hereditaria non esset, filii tamen Comitum non facile negligebantur, quod testatur cap. Caroli Calvi apud Mireum in *Annal. Belg. Ann. 877. fol. 403.* vid. etiam Besold. *Thesaur. Pract. verb. Grass.*

15. Extraordinario Civili Magistratu in Provinciis fungebantur Legati sive Misi Regii, quorum vicaria licet, magna tamen erat potestas. Jus enim non saltem dicebant, sed exigente necessitate ducebant quoq; cives in aciem. Et si fortè in Provinciis Episcopi & Comites essent negligentes, à Misis Imperatoris corripiebantur. Si quid etiam implere illi non possent, adimplebant Legati, causam, si neq; ipsi emendare possent, ad Imperatorem deferentes. Quemadmodum verò apud Romanos Ducis nomen, belli præfectis aliàs proprium tribuebatur etiam deinde iis, qui præessent in Provinciis limitaneis rei militari, extensum postea ulterius ad Jurisdicendi potestatem: ita Franci quoq; Romanos imitati nonnullis Provinciis præficiebant summos gubernatores, quos vocabant Duces, à Rege & Proceribus electos, quorum in illis Provinciis summa quidem dignitas erat, commissa illis administratione & Jurisdictione quo ad causas Ecclesiasticas atq; Civiles, Magistratus tamen saltem gerebant, manente summa potestate apud Imperatorem, ut videre licet apud Vadianum *l. 1. de Colleg. Monast. in Germ. vet.*, ubi (*Franci Reges, inquit, Regnum suum Ducum maximè & Comitum opera moderabantur, qui in illa quidem ætate non suam seu propriam, sed publicam Regni ditionem administrabant;*) Et idem ibid: (*Illæ ætate, ait, Duces & Comites non sui juris, sed Regum atq; Imperatorum officarij veluti atq; ministri erant.*) Audi etiam Trithem. *lib. de Orig. Franc. Ann. 742.* dicentem: (*In singulis Provinciis aut Duces aut Comites Remp. sub potestate Francorum administrabant, Regum nutu amobiles.*) licet autem nec hæc Ducum dignitas esset hereditaria, filius tamen raro rejiciebatur. Ita enim Beatus Rhenanus; (*Hoc autem Privilegium habebat ea familia à priscis Francorum Regibus, ut si quis fidus Regno prudensq; ex eadem progenitus compertus fuisset, non aliunde quisquam adscisceretur in Ducem.*)

16. Cum

16. Cum autem horum Ducum potentia successu temporis cresceret, junctis in unum pluribus Comitatus, nonnulli eorum spreto Regis Imperio in plenam libertatem asserere se studebant. Carolus M. equidem duos maximos Regni Francici Ducatus, Bajoaricum & Aquitanicum, è medio sustulit, distributis Provinciis illis inter plurimos Comites; Et eodem modo alios etiam Ducatus in plures Comitatus mutavit, ut videri potest apud Eginhart. *in vita Caroli M. & Lehm. Chron. Spir. l. 2. c. 16.* Posterius autem ejus plures iterum instituerunt, ita ut ultimis Carolinae familiae temporibus in Germania fuerint quinque; potentes Ducatus, Saxonicus, Bajoaricus, Francicus, Svevicus, & Lotharingicus, quorum Ducum quilibet proprio & pleno jure Provinciae suae praesse annitebatur.

17. Primus eorum liberius regnavit in Saxonia sua Henricus, potentissimus juxta ac fortissimus omnium, qui deficiente familia Carolina in Regem Germaniae eligebatur, dictus Anceps. Sub hoc Rege ejusque posteris libertatem nacti sunt non solum Provincia- rum gubernatores, sed & Civitates ipsae. Nam ut quaeque plus bonorum, quae ad Regnum pertinebant, habuit, ita maturius & facilius ad libertatem pervenit, ut sonant verba Beati Rhenani *lib. 2. rerum Germ.* quibus omnibus non parum addidisse notum est, dura fata Impp. Henrici IV. & post modum Frider. II.

18. Hoc modo Ducum atque Comitum potestas, Imperatoris sive Regis olim ministra, mutata ferè est in propriam. Quando hereditaria ea sit facta, certò definire non licet. Videtur tamen aliquid ejus factum esse jam tum tempore Conradi II., quod autor Chron. Colonien- sis credere nos jubet his verbis: (*Cum verò Conradus Romanam proficisceretur, peti- tum est à fidelibus, qui in ejus erant servitio, ut lege ab eo promulgata hoc etiam ad nepotes ex filio producere digna- retur, & ut frater fratri sine legitimo herede defuncto, vel filius in benefi- cio, quod Patris fuit, succedat.*) Et sic pedetentim magis magisque Principum & Comitum, Urbium etiam potentia aucta est, fractis viribus Imperatoris, ut eam demum, quam gerit hodie, faciem Germania acceperit.

19. Mansit nihilominus Imperatoria dignitas summa & distincta à potestate illa Principum & Statuum, quippe illa est independens diciturque Majestas; Principum verò & Ordinum potestas dependet ab Imperatoria Majestate, & conceditur ab Imperatore sub nomine
Regalium

Regalium variis modis, de quibus vid. Brautl. *J. Publ. lib 3. c. 4. § 5.* Acquiritur etiam illa consuetudine & præscriptione. Consistit autem hæc potestas sive superioritas Principum & Ordinum in summo post Imperatorem potestatis Jure & radicatur in territorio, quod cum hereditariè concedatur, ipsum Superioritatis Jus etiam hereditarium sit necesse est. Versatur ea cum primis circa personas & res sive bona territorio, cui inhæret, inclusa.

20. Potissima Superioritatis pars est Jurisdictio, quæ est vel Ec-
clesiastica vel Secularis. Illa, quæ etiam vocatur Jus Episcopale
versatur circa Religionis propagationem, reformationem, Eccle-
siæ ministrorum sustentationem, visitationem, correctionem,
dispositionem de bonis Ecclesiasticis, legum Ecclesiasticarum san-
ctionem, Consistoriorum constitutionem & similia; quæ omnia
hodie Principibus & Statibus in ditionibus suis competunt. Neq;
enim solum liberum Religionis exercitium habent *Pacif. Rel. de*
Ann. 1555. Spring. de Pac. Relig. c. 2. Sed reformandi etiam potesta-
tem tenent, quæ tamen restricta maximè est ad Cal. Jan. Ann. 1624.
ut quæ illo anno non fuerit religio, eadem impofterum introduci
nequeat *Tabb. Pac. Osnabr. art. V. §. 3. Bona Ecclesiastica &c.* Non
etiam Status Imperii subditos suos pacificè aliàs viventes, ad emi-
grandum cogere possunt propter Religionis diversitatem, quod
prohibentur per *Pacif. Relig. §. Wo aber; ubi emigratio liberæ vo-*
luntatis dicitur & d. Pac. Osnabr. art. V. §. 12. in pr. & s. Und über dieß/
§. Es ist auch bestebt worden: ne scilicet Christiani deterioris sint
conditionis, quàm Judæi, qui ubiq; ferè hodie tolerantur, eosq;
quietè viventes expelli non posse tradit Natta in consil. 620. n. 22.
adde tamen & vide contra d. Art. V. §. 12. §. Do aber ein Unterhan-
Inter Reformatos & Lutheranos transactum est particulariter, ut
Princeps, si ad alterius partis Sacra transferit, nihil circa Religio-
nem possit mutare, salvis solis Principum Anhaltinorum juribus,
quæ ipsis competunt, ut videre est d. Pac. Osnab. art. VII. §. ac fas ei
non sit. Et hæc omnia strictè servari suadet inviolabilis justarum con-
ventionum fides, jubet publicarum Imperatoris & Imperii sanctio-
num auctoritas, & summus pacis publicæ favor Sprenger. Jurispr.
Publ. p. m. 195.

21. Jurisdictio secularis significat nobis hic munus, quod Magi-
stratus jure suæ potestatis ordinario gerit & exercet *l. i. ff. de Jurisd*
D Wefenb.

Wesenb. *parat. ff. b.* Dividi solet potissimum in Jurisdictionem Voluntariam & Contentiosam. Voluntaria est, quæ inter consentientes solennitatis causa exercetur *l. 2 ff. de off. Proconf.* Versatur ea circa Adoptionem, Emancipationem, Legitimationem, Manumissionem, consensum circa contractum mutui & emtionis venditionis, & similes legis actiones enumeratas ab Obrecht. *de Jurisdic. lib. 1. c. 9. n. 7. seqq. vid. infr. th. 30. b.* Addunt nonnulli aliquam Mixtam sive Mediam, cujus exemplum ponunt Tutoris dationem, quod ea in invitos quidem exerceatur, sed sine judicii strepitu, qui in sola contentiosa attenditur. Sutholt. *th. 172.* H. refert ad hanc etiam adoptionem & emancipationem, quod in medio relinquo.

22. Contentiosa Jurisdictio est, quæ cum causæ cognitione inter litigantes, etiam invitos exercetur *l. 83. §. 1 ff. de V. O.* & ad hanc pertinent omnes causæ, tam criminales, quam Civiles, & dicitur publica potestas statuendi de causis tam criminalibus quam Civilibus Brautl. *Jpr. publ. l. 3. c. 6.* Ponuntur tres ejus species, Imperium Merum, Mixtum, & Jurisdictio simplex in *l. 3. ff. b.*

23. In omni nimirum causa in judicium deducenda quærendum est primum de facto, quale illud sit, ut eo accuratè cognitio Jus generaliter statutum facto individuo applicari rectè possit, & hæc cognoscendi potestas vocatur Notio, accuratius cognitio seu Facti quæstio *l. 99. ff. de V. S. l. 1. §. 4. ff. ad SC. Turpill.* Cognito itaq; Facto statuitur de Jure Facti, justumne, an verò injustum illud sit, & hæc statuendi potestas semper includit Notionem sive cognitionem, diciturq; Jurisdictio simplex *l. 4. ff. de Jurisd.* Cum vero Jurisdicendi potestas non absolvatur, nec suum cuiq; tribuatur, nisi simul judicatum præstetur, potestas exequendi id, quod statutum est, dicitur Imperium *l. 3. 4. ff. de Jurisd.* quod extremum vocatur in Jurisdictione *l. 1. §. 1. ff. si quis jus dicenti non obtemp.*

24. Sunt præterea Res vel Civiles vel Criminales, & hæc rursus vel Capitales vel non Capitales. Cum autem harum nonnullæ modicè saltem puniantur, puta imposita pœna pecuniaria, arrestatione, pignoratione & similibus; In Civilibus etiam condemnati non rarò ad judicatum solvendum impellendi sint vi & Imperio, hæc cogendi & coercendi potestas dicitur Imperium Mixtum oppositum alteri, quod vocatur Merum, quo licet gravius animadvertere.

JURIS-
DICTIO
SIMPLEX.
IMPERIUM.

MIXTUM.
MERUM.

vertere in eos, qui enormissimis delictis mortem vel naturalem vel Civilem, aut membri amputationem, vel aliam graviolem pœnam commeriti sunt. Ex his igitur videtur, quomodo hæ tres species inter se differant. Facilius nunc erit singulatim illas definire.

25. Merum Imperium est potestas animadvertendi in facinorosos; vocatur etiam potestas gladii. Erat enim gladius index Justitiæ & insigne superioris potestatis, ad quam significandam gladio cingebantur, quia ea præditi erant *Rom. 13. v. 4.* Dicitur Merum, non, quod nullâ præviâ facti cognitione executio ex abrupto quasi fiat; occupatum enim fere totum est circa Processum Criminalem; sed more loquendi inde à Romanis servato, apud quos Regibus exactis, gladii potestas non competebat Magistratibus Civilibus, sed tributa illa erat à populo quæstoribus Parricidii, postea verò triumviris capitalibus. Et cum ita hæc de criminibus cognoscendi & exequendi potestas sola esset & in separato subjecto, vocabatur merum Imperium; competitq; hodiè Principibus Germaniæ non jure Magistratus, sed vi superioritatis, seu potius jure Regalium communicatorum *Krafft der Hohen Landesfürstl. Obrigkeit / adeoq; non potest mandari. l. 70. ff. de Reg. Jur. & ibi Christoph. Gützel. reg. 77. l. 1. ff. de off. ejus cui mandata est Jurisd. c. 2. de off. vicar. in. 6. cap. 3. X. de off. Jud. del. c. ult. ne clerici vel mon. secul. se immisc. in sexto.*

26. Distinguitur Merum Imperium in plenum & limitatum; Illud est, quando concessa est potestas animadvertendi in omnia crimina. Hoc autem, quando Princeps quosdam casus, præcipuè primi gradus delicta, qualia sunt Parricidium, Adulterium, cædes & similia, in signum præminentis sibi reservat *Knich. tr. de sublim. & Reg. Jur. territor.* Gradus Meri Imperii sunt tres, totidem enim sunt pœnarum genera *l. 28. in pr. & l. 8. §. 1. ff. de pœn.* Primus gradus continet pœnam mortis naturalis sive ultimi supplicii *l. ultimum 21. l. capitalium 28. ff. de pœn.* Secundus gradus respicit pœnas à morte naturali proximas, ut sunt; membri mutilatio, vel gravissima corporis coërcitio, vel mors Civilis, quæ infertur vel adempta libertate, ut fit per damnationem in metallum & triremes *l. 17. in pr. l. 28. in fin. ff. de pœn.*, vel sola Civitate, ut fit per damnationem ad opus publicum perpetuum *d. l. 17. §. 1. ff. de pœn.* Ad hunc

D 2

gradum

gradum pertinet aquæ & ignis interdictio §. 2. *Inst. de capit. dimin.* & quæ in hujus locum successit, deportatio d. §. 2. *Inst. de capit. dimin. d. l. 17. §. 1. d. l. 28. in fin. pr. ff. de var. & extraord. cognit.* de qua tamen dubitat Treutl. *vol. 2. disp. 31. th. 5.* & hodie Proscriptio sive bannum Impetii, des Reichs Acht Gail. 2. *de Pac. publ. 1. n. 24. sq.* Treutl. *d. l. & Clar. q. 71. vers. dixi.* Stuck. *Exercit. Justin. 3. ass. 7. lit. a.* De Jure Can. huc etiam refertur damnatio ad perpetuos carceres c. *quamvis 3. de de pœn. in 6. c. novimus §. fin. de V. S.* Sichard. *in l. 1. C. ex quibus causis infam.* quos autem decisivè prohibet Jus Civile *l. 1. C. de custod. reor. l. 35. ff. & l. 10. de pœn.* Hic notandum, quod tortura sit solius hujus Meri Imperii, eaq; non extendatur ultra hunc secundum gradum, quia datur saltem in delictis gravioribus. Rauchb. *part. 1. q. 49. n. 22.* Br. *in l. Edictum de qq. Zanger. tr. de qq. seu tortur. reor. c. 1. n. 5. & 6.* Tertius deniq; gradus Meri Imperii consistit in coërcitionibus, quæ salva libertate & Civitate existimationem concernunt *l. 28. §. 1. ff. de pœn. l. 6. §. ult. eod.* ut sunt fustigatio, relegatio cum infamia *l. 2. §. 2. de publ. Judic. l. 2. & l. 6. §. fin. de pœn.* Referunt huc nonnulli mutilationem membri; verùm melius ad secundum gradum eam referri putamus. Quamvis enim pro capitali pœna propriè non habeatur Dan. Moller. *in Comm. ad Constit. Saxon. p. 4. const. 1. n. 15.* proximè tamen ad illam accedit, quia est pœna sanguinis, quare ad secundum gradum non incommodè refertur. Est tamen mutilatio restricta *N. 124. c. fin. Constitutio Crim. Caroli V.* aurium & lingvæ abscissionem certis casibus permittit *art. 198.* Oculorum etiam concessit Leo Philosoph. *Nov. 92.* Manuum amputatio Saxonibus est valdè usitata. Quæritur autè, *utra manus sit amputanda?* Sichard. *n. 6. & seqq. C. de serv. fugitiv.* respondet, quod imbecillior *autorit. gl. in Auth. sed novo jure. ubi Dd. cui sententiæ & nos ad stipulamur.*

27. Mixtum Imperium est *potestas coërcendi modicè, inserviens tuenda Jurisdictioni & competens Jure Magistratus l. 2. & 3 ff. de Jurisd. l. 1. in fin. ff. de Off. ejus.* Dicitur ^{Imperium} ne videlicet (cum & Civilium & Criminalium cognitio proprium nomen haberet, illa Jurisdictionis, hæc meri Imperii propter adiunctam potestatem exequendi Statutum,) Jurisdictio vel nullo Imperio indigere, vel eo vacua planè esse videatur. Scip. Gentil. *lib. 1. c. 5.* Stuck. *de Jurisd. concl. 4.* Mixtum vocatur, non, quod potestas statuendi juris ejusq; exequendi inter se misceantur, possintvè misceri; sed, quod utraq; potestas

potestas & statuendi & Statutum exequendi in uno eodemq; sub-
jecto uno eodemq; tempore inveniatur. Inest autem Mixto Impe-
rio semper Jurisdictio, non vice versa Ulp. in l. 3. ff. de Jurisd.

28. Sunt hujus etiam Imperii tres gradus. Primus, in quo natura
Imperii & Jurisdictionis pariter elucet. Secundus est eorum, quæ
sunt magis Imperii, quo referuntur omnia, quibus judicata ad ef-
fectum deducuntur, quod fit sequestratione litigiosa, præcepto
de non alienando, missione in bonorum possessionem ex secundo
decreto, pignoris captione per ministros & apparitores, vel data
facultate jurandi in litem; vel manu militari; incarceratione,
condemnatione in Expensas: mulctæ irrogatione, Banno Civili
& similibus, de quibus vid. Rosb. de Proc. tit. 29. Clud. de Sequest.
Colerus, Cujac. Mynsing. Scip. Gentil. & alii. Tertius gradus com-
plectitur ea, quæ magis sunt Jurisdictionis & consistunt in Juris-
dictionis explicatione, de quibus vid. Wesenb. p. 2. conf. 95. Dam-
houd. prax. Civ. c. 144. Stuck. de Jurisd. concl. 4.

29. Jurisdictio in specie five simplex est potestas reddendi Juris
sine Executione, jure Magistratus competens l. 1. in pr. ff. de Off. ejus cui
mand. est Jurisd. Pertinent huc judicis dandi licentia l. 3. ff. de Ju-
risd. Bach. b. disp. 3. th. 4. pr. missio quædam in bonorum possessio-
nem tit. ff. de ventr. in poss. mitt. Hahn. b. p. 161. sqq. Referuntur huc
etiam actus voluntariæ Jurisdictionis l. 2. §. 1. & l. 3. ff. de Off. Proc.
ad quam præter numerata supra th. 22. pertinent quoq; Insinua-
tio donationis, Testamenti factio apud acta, Manz. in ratione re-
gulari ad tit. Inst. de libertin. §. 2. n. 4. Ejus insinuatio, licet facta
sit judici extraneo, cui in Testatoris domicilio nulla competit
Jurisdictio Carpzov. in Proc. tit. 1. art. 2. n. 49. & 53. Donatio mor-
tis causa judicialis, & insinuatio donationis inter vivos; hæc enim
omnia absq; plenaria causæ cognitione, & sine contentione ju-
dicii; strepitu fiunt; nec in illis. Judex competens requiritur
Carpz. in Proc. tit. 2. n. 34. & seqq.

30. Hæc de Jurisdictione, tam in genere, quàm in specie. Quo-
modo ea porro dividatur in propriam vel non propriam; Hæc
iterum in mandatam vel prorogatam, quomodoq; differat Juris-
dictio delegata à mandata, jam non dicemus. Tacemus etiam,
quomodo illa Jurisdictio constituatur hodie, vel Expresse vel
Tacite. Expresse vel per modum Privilegii cumulative; vel per

contractum e.g. feudalem, privativè. Tacitè vel consuetudine vel prescriptione. De his omnibus videri possunt Dd. h., ad institutum nostrum jam non pertinet ea latius hic examinare.

31. Ex Jure Superioritatis Principibus & Statibus affluit etiam Jus Fœderum jungendorum, tam inter sese, quàm cum exteris, modò non ad Imperatoris & Imperii offensionem, aliorumve oppressionem, sed ad pacis publicæ potius conservationem contrahantur. Competit hoc illis ab antiquissimis temporibus *A.B. tit. 15.* & confirmatum denuo est per *Pac. Osnabr. art. 8. §. gaudeant.* Cum autem negotium sancientorum fœderum operam Legatorum maximè requirat, tenent etiam Jus Legationum.

32. Ex eodem Superioritatis fonte derivatur ad Principes & Status Jus Collectandi, Banni Venatici, auri & argenti fodinarum, Salinarum monetandi, aggratiandi, & quæ sunt alia. Referunt huc quoq; nonnulli Jus belli gerendi tam inter sese, quàm cum exteris. Verum absoluta hæc concessio nusquam legitur, quare hæc res non adeo expedita esse videtur. Enimverò, legibus in Reipubl. decidendæ sunt lites, si quæ oriuntur inter Cives *Const. Carol. V. de Ann. 1548. & Pacif. Osnabr. art. 17. §. Veruntamen:* cautum est expressè, ut *nulli Statuum Imperij liceat Jus suum vi vel armis persequi, sed, si quid controversia inciderit, unusquisq; jure experiatur, & secus faciens reus debeat esse fractæ pacis publicæ.* Quare si frivole & propria autoritate Status inter se digladiantur, mandata avocatoria sine clausula ab Imperatore belligerantibus sub pœna Banni & pœna amissionis omnium Privilegiorum insinuantur, & inobedientes in pœna Banni aliasq; Jure Civili constitutas pœnas declarantur *Gail. de Pac. publ. lib. 1. cap. 4. n. 2.* Nec cum exteris etiam belli gerendi licentia sine consensu Imperatoris impetrato singulis Statuum est concessa. Et si hæc ad Principia Politica exactius paulo examinemus, fatendum erit, ab utraq; parte interitum Reip. imminere. Enimverò, si Imperii membris inter se bellandi licentia detur, necessario perpetui motus erunt interni, consummaturi pedetentim totum Reip. corpus. Nec minus malum metuendum, si cum exteris conflagrare cuivis liceat. Quod si enim singuli vincant, & opibus atq; potentia pollere incipiant, formidabiles facientur toti Reip. Si verò hi succubuerint, magna Imperii pars exteriorum injuriæ patebit. Hoc tamen facile damus, posse quemlibet

Princi-

Principem aliumve Imperii Statum refractarios suos subditos armis in ordinem redigere. O. C. p. 2. t. 9. §. So jemandes hohen. in fin. Gail. de Pace publ. 2. n. 20. Quod si etiam per subitum hostium incursum Caesaris copia haberi nequeat, quin quilibet Statuum arma arripere possit, dubium non est; & illud facere eos jubet fides, quam Imperatori & Imperio debent. Idem licere quibusvis subditis, si per Statuum socordiam hostis impunè grassetur, tradit Lampad. de Rep. Rom. Germ. c. 11. quid verò hodie magno Germaniæ malo obtineat, vid. ap. eund. c. 12. §. 6.

33. Ex his jam facilis erit intellectu vulgaris illa vox, qua dicuntur Principes tantundem posse in suis territoriis, quantum Imperator in Imperio. Audita ea primum est in Italia. Cum enim tempore Henrici IV. Imp. erepto per Pontificem Imperatoris Sacrorum jure, dimidium Majestatis amisisset Imperator, postmodum autem in Friderico II. & deniq; in Ludovico Bavaro autoritas Cæsarium in Italia ad incitas fere redacta esset, adeò, ut Onuphrius Panvinius Fridericum II. ultimum Cæsarem nominet; Et Carolus Sigonius Regnum Italiæ post Fridericum II. concidisse aperte statuat: Inde omnes ferme Principes Italiæ Cæsarem comiter saltem revereri & gloriari cœperunt, se tantum potestatis habere in suis Provinciis atq; terris, quantum Cæsar in toto Regno. Transit deinde quoq; vox illa in Germaniam sec. 14. cum Romani Juris Doctores in Germania docere cœperunt. Et Brautl. lib. 3. c. 5. Epit. J. Publ. effectum Superioritatis ponit in eo, quod ejusdem vigore Principes & Status Germaniæ tantum possint in suo territorio, quantum Imperator in Imperio: annectit autem, hanc Regulam pati suas restrictiones. Et sanè nudè hæc ita intelligenda esse non putamus. Fatemur namq; & nos, magnam Principum atq; Ordinum in terris suis esse dignitatem atq; autoritatem; Principumq; præcipuè potestatem in suis ditionibus Monarchicum quid atq; Regium sapere: at verò, in omnibus æquè rebus adeo summa esse ea non videtur, ut cum Imperatoris summa in Imperio potestate comparari exactè queat. Tenet scilicet solus Imperator potestatem suam independentem, & immediatè à solo Deo, manusq; intra commissæ potestatis cancellos continet non superioris in Rep. Imperio coactus, vel terrestris sive legalis pœnæ formidine, sed sola in Deum pietate, honestatisq; amore; nec facer æquè & excelsus

sus in Imperio est locus, atq; Imperatoria Majestas, in ea quippe summa dignitas, potestas & Justitia, tanquam in sublimi throno habitat merita omnibus ex æquo distribuens; quare ex omnibus maximeq; disitis locis atq; Provinciis subditi ad eam, tanquam fontem & scaturiginem advolant, justitiam alibi denegatam supplices & ultimo petitori. Principum autem atq; Ordinum potestas in ditionibus suis, quanta quanta est, tota dependet à Majestate Imperatoris Paurm. l. 1. de Jurisd. c. 6. & 8. Schrad. de feud. part. 4. c. 1. Lampad. c. 3. §. 8. eiq; subjecta est, quia omnes omnino Status coguntur homagium præstare Imperatori, & ab eo investituram petere Spreng. Jprud. publ. c. 18. Et quamvis, Statuum potestas, postquam hereditaria illa facta est, satis ampla atq; magna sit, circumscripta tamen ea est tum circa Sacra, tum profana, legibus ab Imperatore consensu atq; suffragiis Ordinum in Imperio latis, & nequicquam contra Pacem Religiosam, Recessus Imperii & Transact. Osnabr. facere possunt, pœnas fractæ pacis publicæ, si contra nitantur, daturi. Neq; Jus de non appellando hic implicat, qui enim illud habent, in vim tenent privilegii, quod concedentis potestatem superiorem nunquam totaliter excludit; quamvis regiam ferè vim illud habere, facillè largiamur. Quid ergo de vulgari illa loquela sentiendum? Verbo: si simpliciter paritatem potestatis intellexeris, rejicimus: Si autem ex similitudine Juris ita dixeris, toleramus. Vid. Reink. l. 1. cl. 5. c. 6. per tot. Knich. de superior. territ. cap. 1. n. 412. sqq. Christoph. Ming. de Super. territ. concl. 54. Norderm. de Jur. Princ. concl. 88.

34. Et hæc est illa Superioritas, ratione cujus Principes & Status Imperii exigunt à subditis homagium, id est, juratoriam obedientiæ & fidelitatis assecurationem, qua præstita Dominus territorii omnibus in universum protectionem promittit Zas. 1. Conf. 14. n. 8. Georg. Ritter von der Landes-Huldigung / & Thom. Maulius de homagio.

35. Differunt autem ab homagio 1. Juramentum fidelitatis, quod ratione feudi solvitur ad cavendam feloniam Zas. feud. concl. 14. 2. Jus clientelare, vulgò *Kaths-* oder *Dienst-Pflicht*. 3. Juramentum Civitatis *Bürger-End* / quod præstatur Senatui pro consequendis Juribus & immunitatibus Civitatis Gilmann. *Symphorem. tom. 5. relat. 6. f. 74. n. 3. sqq.*

36. Utrum

36. Utrum omnibus indifferenter Imperii Statibus, & præterea immediatis Imperii Nobilibus quoq; competat Jus Superioritatis, de eo multum disputatum est hæctenus. Et Civitatibus Imperialibus à quamplurimis denegatum fuit; cum primis verò contra illas strenuè egit Andreas Knich. Cancellarius Vinariensis & Consiliarius Henrici Julii Episcopi Halberstadensis & Ducis Brunsvicensis in libro, qui vocatur Epopsis sive de Superiorit. Territ., contra eum scripsit Taut. de Rerump. inferioris Saxonix illustrium perfectio Regimine & Statu. Verùm cum Urbes Imperiales eadem Jura exercent in suos subditos, quæ Principes in suos, bene ait *Lampad. de Rep. Romano Germ. c. 14. §. 25.* nequicquam interesse inter Principum & Civitatum Imperialium Superioritatem. Et quamvis Knichius objiciat, Civitates Imperiales non esse investitas hac clausula Regali, mit der Landesfürstl. Obrigkeit; neq; ditonas & territoria earum in Ducatus, Marchionatus, Comitatus &c. evecta esse; hæc tamen ejus objectio nihil implicat. Dignitas namq; Regalis & Superioritas territorialis valdè differunt, nec illa est de substantia Superioritatis, sed saltem præminentia quædam *Reink. l. 1. cl. 5. c. 2. n. 41. & c. 5. n. 15.* Et quod dicitur Landesfürstl. Obrigkeit/ id dicitur ratione dignitatis Personalis, non Juris *Ming. de Superior. Territ. cap. 2. concl. 25. & cap. 3. concl. 42. Wehner. Præf. Observ. verb. Landesfürstl. Obrigkeit.* & hoc confirmatum donuo est per *Pacif. Osnabr. art. 5. §. 1.* Unica & sola excipitur Colonia Agrippin: quæ nihil sub se habet territorii, Et Archi-Episcopus Coloniensis habet ibi Jus Meri Imperii; Civitas solum jus carceris tenet. Olim Comites de Arnberg fuerunt Coloniae Præfecti Imperiales, & habuerunt in Civitate merum Imperium. *Dresser. de Urbib.*

37. De Immediatis sive liberis Imperii Nobilibus, den Freyen Adel/magis adhuc dubitatum est, utrum haberent Jus Superioritatis nec ne? Præmittendum hic, quod Nobiles immediati distingvantur in tres classes, Franconicam, Svevicam, & Rhenanam R. I. 1500. Ad Franconicam pertinent sex loca: 1. Odenwald. 2. Steigerwald. 3. Gebürg. 4. Alte Mühl. 5. Die Buchen oder Baunach. 6. Die Rahn und Wahn. Equites Svevi in quinque dividuntur loca: 1. Hegau/ Bodensee und Algau. 2. An der Rhonaw. 3. Am Kocher. 4. Am Schwarzwald oder Neckar. 5. In Rinzgau. Rhenani Equites dividuntur

E

duntur in propriè Rhenanos & Wetteravicos. vid. Simon. Gunth.
de Privil. Rhen. Nobil. priv. 4. n. 1. priv. 6. n. 1. priv. 7. n. 1. priv. 8. n. 1.
His Nobilibus Lampadius *de Rep. Rom. Germ. cap. 3.* Jus Superiori-
tatis detrahit, Superioritatem derivans inde à Jure Comitiorum,
quod Nobiles illi non habent. Verùm, cum vigore Pacif. Osnabr.
immediatè Imperii Nobilitati in Jure circa Religionem, quod præ-
cipua pars est Superioritatis, idem Jus tribuatur, quod Electori-
bus, Principibus & Statibus competit *art. 5. §. 10. & ibid. §. 12.* ex-
pressis verbis, Jus reformandi exercitium Religionis, & paulò post
Jus in negotio Religionis ratione territorii & Superioritatis com-
petere dicatur; Superioritatem immediatos Imperii Nobiles ha-
bere, (quæ Adelsche Obrigkeit dicitur Gail. 2. *Obs. 62.*) eamq; ex
Jure Comitiorum petendam non esse, in aperto est. Tenent enim
Principes & Status Jus Comitiorum non ratione territorii, sed Reip.
Monarchicæ aristocraticè temperatæ, &, quod ipse Lampadius fa-
tetur, independenter; versaturq; illud circa utilitatè totius Imperii.
Superioritatem verò tenent dependenter ab Imperatoris Majesta-
te, & respicit hæc ditionem saltem cuius Statui subjectam, quare
dicitur Jus Territorii Pacif. Osnabr. *art. 5. §. 12.* Illud autem voca-
tur Jus Comitiorum, quæ cum nomine Imperatoris & Imperii
celebrentur, quantum hæc duo invicem differant, facilè patet.

38. Enimverò Administratio Imperii est duplex: Alia purè Mo-
narchica, quam solus Imperator tenet, eoque pertinent, Jus confe-
rendi dignitates Regum, Principum aliorumq; Regalium titularum;
Jus Nobilitandi, creandi Doctores, Comites Palatinos, erigendi
& confirmandi Academies. Jus investiendi de Feudis Regalibus,
& de iis cognoscendi, *O. C. p. 2. c. 7. A. B. t. 5.* quanquam in hoc
nonnunquam adhibere solet Imperator Pares Curie. Jus cogno-
scendi de Controversiis Vestigalium inter Electores & alios Status,
de Sessione & præcedentia Statuum. Concedendi immunitates &
Privilegia, qualia sunt Nundinæ solennes, Induciæ Moratoriæ uni-
versales *Quinquennet und Anstand Brieff/* & si quæ sunt alia. Jus co-
gnoscendi de Privilegiis ab Imperatore concessis. Privilegium Ci-
vilitatis dandi; quod Jus tamen à nonnullis ad Regalia minora re-
fertur, quæ Statibus etiam competunt, allegantes exemplum Du-
cum Bavaricæ, qui Ulrico de Abensperg jus Civilitatis super Abens-
perg concesserint. vid. *Hund. im Bährischen Stammbuch p. 1. de Co-*
mitibus

mitibus de Abensperg. Jus restituenda famæ l. 10. C. de sentent. pass.
l. 1. ff. de natal. restit. R. I. de Anno 1526. §. Und wiewohl der Gemeine
Mann. Jus Legitimandi Nov. 89. Jus Postas constituendi, defectus-
que reformandi t. r. de Post. Jus suprema Imperii & Curia officia distri-
buendi Nov. 53. nemini tamen, nisi natione Germano Cap. Car. V.
art. 13. & seq. Impp. Leopold. art. 40. eodem modo protectio Germa-
niæ in Curia Pontificia non nisi Germano conferri posthac debet
Capit. Leopold. d. l. Jus Primariarum precum, quo Imperator in
omnibus Monasteriis cunctisq; Ecclesiis cathedralibus & Collegia-
tis tam Augustanæ, quàm Catholicæ Religioni addictis, potest præ-
sentare ad beneficium Ecclesiasticum unam personam, ita tamen,
ut decedente Augustanæ Confessione addictus in ejus Religionis E-
piscopatibus Confessione Augustanæ addictus ad normam Statuto-
rum & observantiæ idoneus precibus fruatur. In mixtis verò ex
utraq; religione seu Episcopatibus, seu aliis locis immediatis, præ-
sentatus non gaudeat, nisi beneficium vacans
Religionis consors possederit, Pac. Osnabr. art. 5. §. 5. Referunt huc
nōnulli Jus absolvendi à juramento ad effectum agendi & dandi ve-
niam ætatis; verum illud competit etiã Camera O. C. p. 2. t. 24. Hoc a
Statibus Imperii quoq; vid. Limn. Jur. Publ. l. 2. c. 9. circ. fin. Hæc Jura
omnia vocantur Reservata Imperatoris, & videri possunt Capitul.
Ferd. II. III. IV. & Leopold. it. R. I. de Anno 1500. 1521. & 1576. & seqq.
O. C. & Reform. Pol. de Anno 1548. & de Anno 1577.

39. Alia est Monarchica Aristocraticè temperata, ea scilicet,
 quam Imperator tenet quidem, sed non solus, cum in partes vocan-
 di sint Status & Ordines Imperii. Et hæc iterum est duplex: In aliis
 enim solo Electorum consensu opus est, qualia sunt, Jus instituendi
 nova vectigalia, vel vetera augendi *Cap. Leopold. art. 21.* Jus Stapulæ,
 cujus concessio cum primum esset apud Imperatorem solum, ad
 eam Electorum consensus requiri cœpit per *Capitul. Ferd. III. art. 20.*
 quod repetitum est in *Capitul. Ferdin. IV. art. 19. & Leopold. art. 21.*
 Concessio Juris Monetandi *Capitul. Ferd. III. art. 37. Ferd. IV. art. 35.*
Leopold. art. 34. Jus alienandi & oppignorandi bona Imperii *Capit-*
ul. Impp. inde à Carolo V. usq; ad Leopold. art. 12. Jus Feuda Rega-
 lia vacantia alii conferendi *Capit. Leop. art. 30.* Jus in bannum de-
 clarandi Statum Imperii, quod Imperatori soli competebat antè;
 per *Capit. Ferd. III. & IV. & Leop. art. 28.* nunc verò consensus Electo-

rum requiritur. *Delectus Militum Leopold. art. 16. Jus indicendi Comitia R. I. de Anno 1576. Als haben wir mit. Capitul. Leop.*

40. In aliis verò omnium Ordinum suffragia requiruntur; & his pertinent; Cura Religionis, quæ solius antè Cæsaris erat, superiori sec. per Pacific. Relig. autem ad Comitia delata est; Jus decernendi Belli nomine Imperii; Tributa indicendi; hospitationes militum instituendi; nova munimenta intra Statuum ditiones extruendi nomine publico sive Imperii, veterave firmandi; Pacem concludendi, jungendiq; fœdera. Excludendi vel suspendendi Statum Imperii à voto & Sessione *Leopold. art. 3. Judicium Camerae translocandi, mutandi vel planè abrogandi Leop. art. 18. Imperii matriculam renovandi; Circulos redintegrandi & alia de quib. vid. Tabb. Pac. Osnabr. art. 8. & Capitul. Leopold.* Observandum tamen hic est, quod si bellum defensivum subito suscipiendum, inq; mora periculum sit, fœdera etiam jungi subito jubeat necessitas, Electorum consensus sufficiat *per Capitul. Ferd. IV. & Leopold. art. 10. & 13.*

41. De his igitur, cum publicis Imperatoris & omnium Ordinum consultationibus constituatur, Imperator singulis 6. annis ad minimum; & præterea, quoties ex usu Imperii visum fuerit, tenetur indicare Comitia; quod primum quidem penes solum Imperatorem fuit, à tempore Maximil. I. verò consensu & Consilio Electorum factum, quod & adhuc hodiè observatur *Wurms. Exerc. 7. qv. 1. vid. Capp.*

CAP. III. DE COMITIIS.

Limitata Reip. Germ. administratio, de qua omnes Status participant, est duplex, Rectionis alia, alia defensionis; Illa fit Legibus, quibus Cives & subditi obtemperare communis Reip. salutis ergò coguntur; Hæc armis peragitur propulsando à Rep. externam hostium vim. De utraq; in Universalibus agitur Comitiiis.

2. Sunt scilicet Comitia duorum generum; Alia sunt Particularia, quæ sunt conventus, non omnium, sed paucorum saltem Statuum, qualia sunt Conventus Electorum, qui instituuntur vel ob Electionem Imperatoris vel Regis Romanorum, *Wahltag*; vel propter alia negocia publica & privata *Churfürsten Tag*; quales
con-

conventus Electores singulis annis absq; speciali concessione decernere possunt per *A. B. c. 12. & Capp. Impp.* Pertinent huc quoq; Conventus Circulorum, *KreyßTage* / vid. *R. I. Colon. ann. 1512.* Et ubi ex universo Ordinum Collegio quidam selecti conveniunt, ut sunt Deputatorum, *Deputations Tage* / *R. I. 1654. §. 194.* vel Visitatorum Camera.

3. Alia sunt Universalia, de quibus hic nobis sermo est, & sunt *Conventus totius Imperij Corporis de salute Imperij consultandi & decernendi gratia instituti.* Circa hæc veniunt consideranda quatuor cum primis; Locus, Personæ, Modus, Res. Locus, in quo Comitia instituantur, est Germaniæ aliqua Urbs per *Capitul. Ferd. III. art. 17.* eaq; ut plurimum est Civitas Imperialis.

4. Personæ Comitia constituentes sunt Imperator & Status Imperii; ex quibus Imperator ad Status se habet, tanquam Caput ad membra; Ejusq; præ eminentia sanè non exigua est; quippe solus propositionem exhibet, sive consultationum capita exponit, Status ad seriam propositionis deliberationem hortatur, & si quid à Statibus conclusum, ad Imperatorem defertur ejusq; consensus petitur, qui si cum Statibus convenit, admonet Status ad exactam Recessus observantiam, & tunc sub autoritate & nomine solius Imperatoris fit publicatio. Hodie solet Imperator plerumq; per alium capita consultationis proponere, & regulariter illud à Secretario Imperii expeditur, qui propositionem prælegit, cujus capita Cancellarius Moguntinus & Secretarius ad mensam in medio auditorio positam sedentes notant & Præthocollum tenent: *Goldast. Politische Reichshändel part. 2. c. 3. p. m. 928. ibi: Wann nun die Kaysers. Majestät auffß Rathhaus kommen.*

5. Pervenit autem Imperator ad dignitatem Imperatoriam sive Regiam præ eminentiam Electione sive Electorum suffragiis A. B. diciturq; Cæsar, Imperator, Augustus, nominibus & titulis servatis inde à Romanis. Magis propriè verò dicitur Rex Germanorum, respectu scilicet nostræ Reip., quamvis hæc res causam dederit ingenti disputationi inter Dn. Conringium & Taborem. Vid. *Conring. Lib. de Origin. Juris Germ. & lib. de Germanorum Imperio Romano. Tabor. Epidemet. & Epist. illi præfix. ad Ducem Brunsviensem & Lün. & ejusd. Racemation. Criminal.*

6. Status Imperii sunt membra Imperij sublimiora, quæ habent Jus Sessionis & voti decisivi in Comitibus. Hinc patet, non omnes Principes, Comites, Barones &c. esse Status, neq; omnes Civitates immediatas esse liberas Imperii, sive inter Status numerandas. Olim equidem omnibus Principibus, Comitibus & Baronibus fuit Jus suffragii; hodie verò secus, eò, quod eorum numerus per liberalitatem Imperatorum nimis crescat. Legi meretur hac de re libellus in Batavia editus, qui inscribitur *Status Particulares Regiminis Ferdinandi II.*, in quo traditur, quod hic Ferdin. II. creaverit Principes 22. Comites ultra 60. Barones 120. Nobilium numerum ferè innumerum. Non tamen his titulis statim Jus Status conceditur. Quippe Principum &c. creatio est solius Imperatoris; Cooptatio in numerum Ordinum autem est penes Imperatorem & Status vid. *R. I. de Anno 1654. §. 197.* Uter dieses habent vir. Utrum verò numerosa hæc creatio Reip. conducatur, judicent alii. Sic multæ etiam sunt Civitates, cum primis in tractu Rheni & Sveviæ, quæ olim Ducibus Sveviæ in Friderico II. Imp. extinctis, paruerunt, Imperatori immediatè hodie subiectæ; & præter has aliæ quoq; Urbes vel sola Præscriptione tetrarchiam & immediatam habent, & contribuunt in ærarium publicum Imperii, nec tamen propterea omnes habent Jus Status: Eadem ratione Imperii Nobiles sunt immediati, non autem reputantur inter Ordines, quamvis aliquoties illud quæsierint.

7. Quatuor namq; requiri dicunt, ut quis sit Satus Imperii; 1. ut nomen sit inscriptum matriculæ. 2. Feuda & Regalia habeat ab Imperatore immediatè. 3. Pro rata contribuatur in ærarium Imperii publicum. 4. Habeat in Comitibus Jus Sessionis & suffragii decisivi. Sola albi insertio nihil præter præsumptionem Status affert ex mente Gail., & incertam sanè pro eâ, scilicet, quæ est matriculæ modernæ, imperfectitudine. Nec ex contributione in ærarium publicum Jus Status dijudicandum est: De fœderis Hansici enim Urbibus, licet Provincialibus nonnullis, ingruente bello & necessitate exigente in universum aliquid postulatum est, ut notum est ex *R. I. de Anno 1566 §.* Ob den nicht allein; & nihilominus singulæ suo loco solvere quotam sunt coactæ *d. l.* Sed ex suffragandi præcipuè potestate æstimandus est Imperii Status, quæ tantò est major, quantò plures immediatè ab Imperatore possidentur ditiones; ita Serenissimus Elector Brandeburgensis tot habet vota, quot possidet Principatus

cipatus; eòq; territorio innixa aliquatenus est suffragii Potestas.
Bertram disp. de Comit.

8. Dividuntur verò Status in tres classes, Electorum, Principum & Civitatum. Electores sunt *Satus Imperii habentes Jus eligendi Casarem* Churfürsten. Dicti etiam fuere septem Viri à numero septenario; hodie autem per restitutionem Palatini sunt octo. Sunt ex illis tres Ecclesiastici, & quinque seculares:

9. Intet Ecclesiasticos primus est Archiepiscopus Moguntinus, qui est Archicancellarius per Germaniam, & apud eum est Archivum Imperii. Dicitur *Decanus Collegii Electoralis*, quia vacante sede Imperatoria convocat reliquos Electores, ut intra tres menses conveniant ad Electionem Imperatoris *A. B. c. 2.* In Electione colligit vota à reliquis Electoribus, suumq; ultimo loco addit *A. B. tit. 4.* Consecrationem & Coronationem Imperatoris extra Diocesim Coloniensem & Moguntinam alternis vicibus cum Coloniensi exercet. Si vero in Diacesi Moguntina illa celebratur, fit à Moguntino per *Transact. Mogunt. & Colen. d. 15. Jun. Ann. 1657. vid Capil. Leopold. art. 37.* Penes illum etiam est Visitatio Judicii Aulici *Pacific. Osnabr. art. 5. §. 20.* Visitatio etiam Judicii Cameralis & Revisio Actorum in Camera *Gail. 2. Obs. 154. §. 9.* juxta modum in *O. C. P. 3. tit. 53. §. 2.* & in *Rec. 7. de Anno 1654. §. 125. seqq.* præscriptum. Ab hoc Electore non appellatur, nisi summa excedat 400. florenos, vigore privilegii sedi Moguntinae concessi anno 1521.

10. Secundus est Archiepiscopus Trevirensis, qui est Archicancellarius per Galliam & Regnum Arelatense; præter titulum verò in dictis Provinciis illi hodie nihil superest. Habet in Electione *primum suffragium A. B. t. 4.* Et ab eo non datur Appellatio, nisi summa sit major 500. flor. aureis. *Spreng. 7. prud. Publ. p. 251.*

11. Tertius Ecclesiasticorum est Archiepiscopus Coloniensis, qui audit Archicancellarius per Italiam, id est, per Regnum Longobardorum & Reliquias Imperii Romani. Competit illi in Electione *votum secundum A. B. tit. 4.* Consecrationem & Coronationem in sua Diacesi solus exercet; extra Diocesim Coloniensem & Moguntinensem verò eam alternat cum Electore Moguntino *d. Transact.* Uicitur titulo Ducis Angariae & Westphaliae, quia Fridericus Barbarossa hos Ducatus anno 1180. in presentia multorum Imperii Principum Philippo Electori Coloniensi in feudum concessit. Ab

hoc

hoc neq; in causa momentaneæ possessionis, neq; infra 1000. floren.
datur Appellatio, ex privilegio, quod habetur apud *Limn. de Jur.
Publ. lib. 3. c. 6.* Notandum, quod his tribus dignitas Electoralis
non competat, ut Archicancellariis *Limn. l. 3. c. 5.* neq; ut Archi-
Episcopis sive Ecelesiasticis, sed ut secularibus Principibus; ratione
ditionum & Regalium scilicet, quæ tenent in feudum immediatè
ab Imperatore *Matth. Steph. de Jdift. l. 2 p. 1. c. 5. n. 5.* Buxtorff. *c. 1. th.
18. ad A. B.* quorum causa etiam collectas Imperio solvunt, homa-
giumq; præstant, & datur Appellatio ab illis ad Imperatorem *Gail
1. O. 30. n. 2. Myns. 1. Obs. 14.* adeoq; nondum infulati sive confirma-
ti nondumq; pallio à Pontifice ornati possunt eligere; quamvis con-
trarium statuat *Besold. p. 306. J. P.* Licet etiam non omnes sint ge-
nere Principes, ad dignitatem Electoralem tamen eveci Principum
primariorum dignitate gaudent *Gail. 1. O. 30. n. 4. sq. Myns. cent. 5. obs.
58.* quare etiam ab Imperatore vocantur Messen. Peculiare illis
est, quod Jus eligendi in illis sit privilegium personale, quod cum
persona extinguitur, secundò, quod, si crimen læsæ majestatis Im-
peratoris committant, Regalibus quidem ab Imperatore privari,
non verò ordinaria banni pœna, ut seculares affici possint vid.
Limn. l. 3. c. 3. n. 66.

12. Seculares Electores sunt quinque, quorum quilibet simul ha-
bet officium suam in Curia solenni subeundum; quare singuli etiam
suos habent Vicarios. Primus est Rex Bohemiarum, Imperii Archi-
Pincerna, qui tenetur Imperatori in Curia solenni porrigere pri-
mum poculum vini aqua permisti; non tamen sub corona Regali,
nisi spontè illud facere velit *A. B. t. 4. § 27.* Habet in Electione
votum tertium. d. t. 4. Hodie verò non parum à more seculi 14. de-
cessum est, nec ad alia Comitia Bohemus vocatur, nisi quæ propter
Electionem Imperatoris, vel propter res Bohemiarum Regnum con-
cernentes instituuntur, vid. *Carpz. L. R. c. 5. f. 8. Spreng. Sinops. Jur.
c. 10. p. 251.* Exemptus etiam est à Legibus Imperii, propriis in Regno
suo Legibus vivens, neq; contributionibus aliisque oneribus obno-
xius est *R. I. de anno 500. Carpz. L. R. c. 5. f. 2.* Est tamen nihilominus
Electo, quatenus Regnum Bohemiarum tenet in feudum ab Impera-
tore, & à Turcicis Collectis non est immunis, quia hoc universo
præjudicaret Imperio *Gravett. Conf. 945.* Certum autem est, cum
Archiduces Austriæ Bohemiarum Regnum hereditario sibi vendicent
jure

jure, iidemq; ultra 200. annos Germaniæ Imperatores dederint, hanc rem multis hæcenus disputationum tricis ansam præbuisse. Bene tamen id operam dederunt hæcenus Imperator & Status, ne nobilissimum hoc membrum ab Imperio planè avelleretur. Habet etiam Rex Bohemiæ Elector tantam dignitatem, ut reliquos Reges, ipsam etiam Imperatricem, quæ tamen Imperatoris gaudet splendore & privilegiis, in Curia solenni & Conventibus Electoralibus præcedat A. B. t. 4. §. 6. R. I. Ann. 1526. zu Esslingen. Vicarius ejus Pincerna est Liber Baro de Limburg. A. B. t. 27. §. 6.

13. Secundus secularium est Dux Bavariz, cui Imperator Ferdin. II. proscripto Friderico Palatino, Electoralem dignitatem cum Palatinatu contulit Anno 23. hujus sec. d. 25. Febr., eodem die, quo (notante Adolpho Brachelio *l. 2. hist. nostri temporis p. 67. sq.*) Carolus. V. proscripto Johanne Friderico, Mauritium Saxoniz Ducem, Electorem fecit. Et sic in Maximiliano Bavariz Duce transiit hæc dignitas in lineam Wilhelminam sublata illa à linea Rudolphina Brachel. *d. l. & Limn. l. 3. c. 9. n. 1.* Differentia dictarum linearum originem debet filiis Ludovici Severi Rudolpho & Ludovico, quorum hic Imperator factus, ille autem Elector & Palatinus Comes, à quo Comites Palatini descendunt, & hæc dicitur linea Rudolphina. Ludovicus Imp. habuit filium Wilhelmum Ducem Bavariz, à quo linea Wilhelmina orta est. Notandum hic, quod in familia Bavarica Imperatoria, dignitas non continuaverit propter nequitiam Papparum. Successor enim Clementis V. Johannes XXII. Ludovicum Imperatorem, cum hic Fridericum Austriacum æmulum & competitorem Cæsareæ coronæ vicisset, deponere conatus, eumq; & omnes ei obtemperantes ex Ecclesia se ejecturum minatus est ex his rationibus, quod Petro data esset summa tam in sacris, quam in Politicis, gubernatio, adeoq; nemo posset esse Imperator, nisi confirmatus à Romano Pontifice: Scripserunt tum pro Imperatore Wilhelmus Occam Angelus, Franciscanus; Marsilius Patavinus librum edidit pro Cæsare, qui dicitur Defensor Pacis. Pro eodem Imperatore scripsit Johannes Andradvius, qui liber tamen periisse hodie creditur., & est admodum rarus. Cum Johannes XXII. male sibi conscius Avenionem profugeret ibiq; Imperatorem Ludovicum excommunicaret, Imperator juxta habita excommunicatione Romam veniens Papam aliam creavit Nicolaum V., qui

F

alias

alias dicebatur Petrus de Corbaria ex familia Columnensium; qui autem, cum Ludovicus in Germaniam redisset, à Papa Johanne in Italiam reduce Avenionem Galliarum missus, ibiq; miserè vitam in carcere finire coactus est. Mortuo post Johanne Papa, Benedictus XIII. execrationem in Ludovicum repetiit, seq; Imperii vicarium nominavit, & vicarios in Urbes Imperii in Italia misit, nihil juvantibus neq; Imperatoris Legationibus, neq; Electorum literis. Et Quamvis in conventu Francofurt. ad Mœnum acta Johannis Papæ contra Cæsarem Electores abrogarint, & decreverint, solennitates Pontificis in coronando Imperatore esse adventitias, nomina sine re, & ab alio quovis Episcopo administrari posse, neq; Papam esse Vicarium Imperii, Benedicti tamen successor Clemens VI. fuit Papa nequissimus juxta ac violentissimus. Licet enim & Imperator ipse & pro eo Philippus Francorum Rex subinde apud hunc Papam sollicitarent pro solvenda excommunicatione, solvere tamen noluit Papa, nisi Imperator has iniret condiciones: 1. Wilhelmum Occamum Pontifici dederet, acta contra Pontificem rescinderet, edicto sanciret Imperium esse beneficium Papæ, Imperium deponeret, nec nisi ex voluntate Pontificis resumeret, & se ipsum, liberos & omnes ditiones suas in manus Papæ traderet. Et his adjecit quædam ipsum Imperii Statum concernentia. (En obsecro quantum Superstitio possit!) Hæc postulata autem cum in conventu Francofurt. Anno 1343. pro pravis, iniquis atq; impiis proclamarentur, Papa Anno 1346. die Cœnæ Dominicæ Imperatorem atrocissimè execratus est, & ad Electores scripsit, nisi illi alium Imperatorem eligerent, se Ecclesiæ & sedi Apostolicæ idoneo advocato sive Imperatore provisurum esse. His minis compulsus Moguntinus ArchiEpiscopus Imperii Principes convocavit in Oppidum Rens, prope Trevirum, ubi elegerunt Carolum Bohemiæ Regis filium. Steterunt tamen Status reliqui à parte Ludovici, electionem Caroli, ut iniquam rejicientes, deq; novo jurantes fidem Ludovico Spira. Cum autem Ludovicus sequenti anno obiret, rebus in Imperio confusè nonnihil a&is Imperium tamen delatum est ad dictum Carolum IV. vid. *Thuribem. Cuspinian. & Annales Henrici Rebdorffii.* & sic nemo filiorum successit in Imperio Ludovico; Et à filio ejus Wilhelmo descendit Linea Wilhelmina, ad quam, ut supra dictum est, Electoralis dignitas cum Palatinatu pervenit,

venit, quam hodieq; tenent & tenebunt, donec tota linea fuerit ex-
tincta. *Votum* habet hic Elector *quartum* in Electione; Et est Im-
perii Archidapifer, in solenni Curia celebratione quatuor scutel-
las argenteas cibo repletas reponens in mensam ante Imperatorem
A. B. c. 27. In Processione solenni gestat pomum Imperiale *A. B. c. 22.*
Soli illi competit hæc prærogativa, quod Imperator super causis,
quibus impetitus fuerit, coram eo respondere debeat, in ipsa tamen
Imperiali Curia *A. B. tit. 5.* præterea vacante Imperio Provisor est
& Vicarius Imperii in partibus Rheni, Sæviæ & Juris Franconici
Conring. disp. de septemv. th. 45. & hac vicariatus dignitate functus est
mortuo Imp. Ferd. III., inon tamen sine contradictione Palatini,
vid. literas Electoris Sax. ad Palatinum super vicariatu Imperii, qui-
bus placatus fuisse videtur Palatinus *Laur. Act. Publ. Europ. p. 119.*
Habet Jus de non appellando per Privilegium Imperiale de novo
concessum Spreng. *p. 266.* Vicarius ejus Imperii Dapifer est Comes
de Waldburg. *Spreng. p. 252.*

14. Tertius est Elector Saxonicus, qui est Marchio Misnia, ad
quem transtulit Electoralem dignitatem Sigismundus Imp. Hic
Electoꝝ votum in Electione habet *quintum*, & vacante Imperio vi-
cariatum exercet in locis, ubi Jus Sax. viget *A. B. c. 5.* In Curia Im-
periali solenni habet officium ArchiMareschallatus, & in solenni
processione Imperatori præfert gladium evaginatum *A. B. c. 26.*
& 27. Jus de non appellando ab antiquis temporibus tenuit atq; re-
tinuit, & est defensor Juris Sax. *Math. Steph. de Jurisd. l. 2. p. 1. c. 5.*
n. 56. Vicarius ejus Mareschallus est Baro de Pappenheim *A. B. c. 27.*

15. Quartum locum inter seculares tenent Burggravi Norinber-
genses, quibus dignitatem illam cum Marchionatu Brandenb. con-
tulit Sigismundus anno 1417. Hujus est *votum* in Electione *sextum*.
Fungitur in Curia Imperiali munere ArchiCamerarii, aquam Impe-
ratori porrigens *A. B. l. 27.* & in solenni processione sceptrum præ-
ferens *A. B. l. 22, & 26.* Jus de non appellando servavit hætenus, ejus-
q; confirmationem à Rudolpho II. Anno 1586. obtinuit. Vicarium
habet Camerarium hæreditarium Comitem de Hohenzollern *A. B.*
c. 27. qui anno 1641. in numerum Principum cooptatus est.

16. Quintus & Ultimus est Palatinus, restitutus scilicet dignitati
Electoralis & Palatinatus inferiori per Pacif. Osnabr. *art. 4.* ita, ut
durante linea Wilhelmina masculina octo sint Electores; deficien-

re autem illa non modo Palatinatus superior sed etiam dignitas Electoralis, quæ penes Duces Bavarix est, ad superstites Palatinos redeat, octavo tunc Electoratu prorsus expungendo. d. Pacif. Votum in Electione habet *Septimum*, Et in Curia Imperiali Archithesaurarii munus sustinet, monetas aureas ex equo in populum dispergens ipse, argenteas verò per vicarium, qui est Comes de Sinzendorff. *Laur. act. publ. p. 57. Coronat. Leopold.* Gaudet hic Elector jure de non appellando per privilegium Imperiale illi de novo concessum.

17. Hi Seculares sola Principatum suorum virtute sunt legitimi Electores A. B. t. 7., si scilicet Bohemus teneat Regnum Bohemix, Bavarus Palatinatum superiorem, Saxo Electoralem Saxonix Ducatum, Brandenburgensis Marchionatum Brandenburgensem; Palatinus Palatinatum inferiorem. Et simile quid obtinet in Ecclesiasticis etiam, si scilicet illorum quisq; ditionem legitimo titulo & Jure teneat atq; regat. Bohemix Proceres equidem liberam urserunt electionem, ut, quem illi secundum Regni Leges eligerent, is ab Imperatore in Regno adeundo impediri non posset. Verum res hodiè aliter habere videtur; Imperator enim, qui hodie simul est Rex Bohemix, Regnum illud Jure sibi vindicat hereditario, Electionem Procerum rejiciens in casum extinctæ familiæ Regix, quod etiam per A. B. t. 7. §. 3. confirmatur. Et obtinuit hæc successio hereditaria in domo Austriaca inde fere ab Alberto II. Archiduce Austriæ, usq; ad invictissimum modernum Imperatorem nostrum Leopoldum. Reliqui Electores seculares ad dignitatem illam perveniunt deficiente familia per Collationem Imperatoris A. B. c. 7. vel etiam Jure pacti gentilitii ab Imperatore confirmati, quam Confraternitatem vocant *Waremund. in mediam: profed. Reuss. t. cons. 10. Carpz. de Pacto confraternit. Saxon. Hass. Knich. de pact. invest.* Durante autem familia ascenditur ad dignitatem illam successione primogeniti; sive Jure primogenituræ; adeoque mortuo ante adeptum Electoratum primogenito filius ejus primogenitus succedit; illi autem non extantibus liberis, defertur ad secundogenitum. Hic observanda hæc regula, quod quomodo se habet secundogenitus ad primogenitum, eodem modo se habeat etiam tertio genitus ad secundo genitum; & quemadmodum omnis primogeniti posteritas excludit secundogenitum, ita tota secundogeniti progenies in successione antevertat tertio genitum. *Tiraq. de Jur.*

Jur. primog. q. 10. vid. etiam Ludov. Molin. Jesuit. de Majoritate Regis Hispania. & de Jure successione Electoralis elegantissimum Scriptum Arnoldi Engelbrecht. Cancellarii Brunsvic. Gvelferbyt. Merentur autem hic legi verba ex Caroli Bulla Francofurt. domus Saxon. hæc: (Si vero primogenitus Ducis Wenceslai decesserit, masculini sexus Laicis duntaxat legitimis heredibus non relictis, & tum secundo genitus &c. paulò post: Et si secundogenitus sine heredibus legitimis masculini sexus Laicis decesserit, tertio genitus &c.) Certum tamen est, si nepos in Electoratu succedat, illud non fieri Jure Repræsentationis; quia ubi Jus Primogenituræ obtinet, ibi cessat repræsentatio Laudens. resp. 7. n. 37 pro Regn. Portug. & Electoratus non tam Patris beneficio, quam Legibus Imperii defertur, adeoq; nequicquam à Patre in præjudicium primogeniti de eo disponi potest vid. Spreng. Jurisprud. Publ. p. 254. sq.

18. Quod si propter minorennitatem negociis Electoralibus sustinendis primogenitus sit impar, *A. B. c. 7.* tutorem illi dat proximum agnatum (in Bohemo id Proceres Regni obeunt) quod Testamentaria Tutoris datione mutari nequit *Lampad. c. 4. §. 25. seqq.* Contra hanc legem etiam nunquam actum est, nisi hoc seculo in familia Palatina, ubi Pater Electoris Friderici V. Palatinum Bipontinum, quod eidem cum illo Religioni Reformatæ scilicet addictus esset, Testamento Tutorem scribebat, cum tamen tutela lege ad Palatinum Neoburgicum Lutheranum, ut proximum agnatum pertineret. Et quamvis conquestus de hac injuria fuerit Neoburgicus, cum tempore tamen omnia sopita sunt. Et hæc de Electoribus; Ubi adhuc monemus, quod tanta sit tam Ecclesiasticorum, quam Secularium Electorum præminentia & præcedentia in aula Imperiali, ut eorum Legati in ea, exceptis Regum & Reginarum viduarum Legatis, omnes alios Principes præsentés antecedant *Capitul. Leopold. art. 5.*

19. Ad secundam Statuum classem pertinent Principes, iiq; vel Seculares vel Ecclesiastici. Principum Secularium nomina variant, sunt n. vel Archiduces, Duces, Marchiones, Landgravii, Principes; Et huc referuntur etiam Comites atq; Barones, quamvis dignitate & suffragii potentia admodum differant; Principes n. singula pro singulis Principatibus habent suffragia: Comites v. & Barones cõjunctim saltem habent quatuor, in Collegio Principum tamen. Omnes &

F 3

singuli

singuli Principes, Comites atq; Barones nominatim hic recitari commodè nequeunt propter deficientem perfectam matriculam. Potest tamen videri matricula Imperii de anno 1521. quæ est ultima & omnium perfectissima, mendis tamen multis etiam scatet, quod jam tum superiori seculo ann. 1548. observarunt Ordines, cum in Comitibus Augustanis Cæsari ingentem exhiberent catalogum eorum, quos eximendos matricula putarunt. Quantum autem inde ab iis temporibus, & vel hoc saltem seculo mutata sit Resp. Germ. nemini non notum est; Quare actitatum est subinde & adhuc agitur in Comitibus de nova edenda matricula. Propter hanc rationem de Præcedentia Principum & Statuum certi aliquid definiri nequit. Tanta autem de ea lis est hodie, ut plurimi Principum rarò præsentem, sed per Legatos saltem compareant in Comitibus. Sunt tamen in Ordine Principum primo post Electores loco familiæ secularium Electorum, quibus succedit familia Ducum Brunsvicensium & Luneburgensium. De reliquis videri potest Dn. Sprenger. in *Jurispr. publ. p. m. 361. sqq.* ubi numerantur Principes 46. Comites & Barones 84. & pag. 355. sqq. Principes Ecclesiastici, adjunctis Archiducè Austriæ & Duce Burgundiæ, 36. Prælati 32. Abbatissæ 15. exceptis Episcopatibus, qui in Principum Secularium Augustanæ Confessionis potestatem pervenerunt.

20. Principes Ecclesiastici sunt Archi-Episcopi & Episcopi, quibus annumerantur Abbates, *Gefürstete Abte* / Prælati & Abbatissæ, quamvis & hi dignitate & suffragiis differant non parum, cum scilicet Episcopi & Abbates singuli ducant vota, Prælati vero & Abbatissæ vota invicem communicantes duo saltem habeant conjunctim. Protestantes quidem Episcopi & Clerici à Jure Comitiorum per Transactionem Pragensem de Anno 1635. excludebantur: Cæterum per Pacif. Osnabr. art. 5. §. 6. restituti sunt adeò, ut ad universales ac particulares Deputationum, Visitationum, Revisionum aliosq; conventus Imperiales literis solitis vocentur, & suffragii Jure fruantur, prout quisq; Statuum ante Religionis disfidia eorum jurium particeps fuerit.

21. Notandum tamen hic est, Episcopis & Clericis Ordinibus jam tum temporibus Francorum locum & suffragium fuisse in Comitibus publicis, quod testatur Hincmarus, *Convenisse*, inquit, *generalitatem universorum Majorum tam Clericorum, quam Laicorum;*
& apud

& apud Theganum Chorepiscopum Trevirensis *l. de gestis Ludovici Imp. c. 6.* de Carolo M. hæc habentur verba: *Imperator, cum intellexisset appropinquare sibi diem obitus sui, vocavit filium Ludovicum ad se cum omni exercitu, Episcopis, Abbatibus, Comitibus loco positus, habuit grande colloquium cum iis Aquisgrani in Palatio.* Tanta autem eorum potestas non fuit, quanta hodie, multo minus Principatus aut Comitatus tenuerunt, sed idem eorum munus fuit, quod hodie apud Protestantas est officium Superintendentis Conring. *de Urbibus th. 107.* & paulatim iis adjecta fuit Jurisdictio in Clericos suffraganeos, quoad personas & bona, ita ut Monachum vel Clericum coram solo Episcopo convenire licuerit. Libertas quippe tum habita fuit, exemptum esse iudicio Seculari & subesse Episcoporum administrationi; quia multa indigna à Comitibus & Misibus Imperatoris patiebatur populus, ut ex ipsis Capitulis Carolinis notum est. Otto Magnus primus fertur fratri Brunoni Archi-Episcopo Coloniensi concessisse Ducatum Lotharingæ, & ita simul jus Gladii temporalis. Wittek. *l. 1. fol. 11.* & autor Chron. Belg. Magni dicit; *ante hæc sua (Brunonis) tempora Archi-Episcopi Colonienses non iudiciis gladij temporalis, sed tantummodo Jurisdictione usi baculi pastoralis.* D. Lipstorp. *de Monarchia Ecclesiast. in dedicat.* Idem Otto filio suo Wilhelmo Archi-Episcopo Moguntino Thuringiam & Hassiam, aliisque alia pleno Dominio possidenda dedit vid. *Lipstorp. d. l.* cum Episcoporum & Monasteriorum bona ante intra villas saltem paucas, agros, sylvas, servosque aliquot consisterent. Plurimis etiam Otto nihil præter decimas dedit, ut clare habetur apud *Dithmarum Mersburg.* Et plerique Episcopi bona, quæ hodie possident, à successoribus Ottonis nacti sunt.

22. Mansit nihilominus apud Imperatores & Reges potestas conferendi jura Episcopatum *Specul. Saxon. l. 3. art. 59. sq.* ubi dicitur, quod *Imperator conferat cum Sceptro Spiritualibus, & cum vexillis secularibus feuda omnia illustris dignitatis; usque ad tempora Gregorii VII. Papæ, ubi Henricum V. Imp. erepta hac ei per Pontificem potestate, dimidium Majestatis amisisse verè dicunt Onuphrius Panvinius & Paulus Æmylius.* Cesit enim Henricus V. in Conciliis Wormatiensibus Anno 1122. jure constituendi Episcopos his verbis: *Ego Henricus dimitto omnem investituram per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesiis, quæ in Regno vel Imperio meo*
Sunt.

sunt, *Canonicam fieri Electionem & liberam consecrationem*. Baron. Ann. ita, ut etiamnum hodie Episcoporum confirmatio Roma petenda sit. Lotharius Saxo, Successor Henrici V. exposuit quidem Innocentio Papæ modeste, quam valde Regnum amore Ecclesiarum attenuatum, & investituram Episcopatum quanto sibi dispendio remiserit, ut ait Otto Frising. l. 7. c. 18. Leodii etiam importunè urfit, ut restituerentur sibi à Papa investituræ, ut tradit ex Bernhardo Bonæ Vallis *Baronius Ann. 1131*. Cum etiam postulatam Imperatoris negarent Innocentius Papa & Cardinales, in hæc prorupit Imperator verba. *Si me mea spe frustratum esse vultis, protestor hodie schisma inter me & Pontificem futurum, & promitto ex obsequentissimo infensissimum fore inimicum*. Deprecante autem Pontifice, ne id tentaret, destitit Imperator instinctu S. Bernardi Abbatis Clarevallensis. Conradus Urspergensis hoc ei tribuit Elogium: *Lotharius, inquit, quamdiu vixit, totum Imperium Romanum, quod ejus custodiæ deputatum erat, titubare non potuit*. Et Helmoldus: *Hujus (Lotharii) ait, temporibus lux oriri nova cæpit; nec tam in finibus Saxonie, quam in universo Imperio tranquillitas temporum, abundantia rerum, pax inter Regnum & Sacerdotium*. Otto Frisingensis quoq; existimat, quod *Corona Imperij hujus Imperatoris virtute & industria ad pristinam dignitatem reduci potuisset, nisi immatura morte præventus fuisset*.

23. Ab eo itaq; tempore obtinuit Electio Canonica, quæ erat penes Clerum & populum. Post Fridericum II. verò hæc iterum mutata sunt Clero & populo omnibus ereptis, & Electione ad solos Capitulares relata, & tum cæpit confirmatio Episcoporum Roma peti, quæ una cum consecratione ad Metropolitanos antè spectabat. Et sic etiamnum hodie constituuntur Episcopi Electione Canonica, quæ est *communi Capitularium omnium seu plurium suffragio vacante Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, certo ritu & modo idoneæ personæ cooptatio Lancellott. 1. Instit. Can. 9. Joach. Steph. in Can. 6. in cujus subsidium introducta est Postulatio, quæ est ejus, qui ob defectum requisitorum eligi non potest, apud superiorem concursus Capituli petitio Lampad. de Rep. Rom. Germ. c. 6. §. 9.*

24. Cæterum superiori & hoc seculis Papæ Majestas scilicet circa Sacra & Episcopatus conferendos in Rep. German. multum imminuta est; Et multos Episcopatus hodie Principes & Status Impe-

Imperii tenent, qui partim mutati sunt, partim verò mutantur pē-
detentim in Ducatus & Principatus, utut Papa multa de Jure pro-
visionis Capitulorum sibi competente garrere soleat, quod fecit
etiam in Ecclesia Cathedrali Halberstadenſi, sed frustra, & legi-
meretur hic scriptum sub titulo Gründliche Assertion seiner Chur-
fürstl. Durchl. zu Brandemb. habenden Rechten und Gerechtigkeith an der
Thumb-Propsten zu Halberstadt. Et in his ditionibus non minus,
quam in reliquis secularibus Principatibus & ditionibus Principes
& Status Imperii vigore Superioritatis Jus Episcopale sive Juris-
dictionem Ecclesiasticam exercent in omnes Ecclesias, quæ Roma-
næ Religioni non sunt addictæ. Habet nihilominus Papa ubivis
fere suam messem per Concordata Nationis Germanicæ, inita
tempore Friderici III. Imp. cum Nicolao V. secundum quæ solet
administrari Ecclesia in illis locis, ubi habetur aliqua ratio Pon-
tificis Romani.

25. Hæc fere est ratio hodie Episcopatum Germaniæ, quorum
quingenta antehac numerarunt. Verumenimverò, ut jam
dictum, tenentur hodie multi Episcopatus à Principibus & Stati-
bus; Quippe Duces Saxonici tres possident, Naumburgensem,
Misnensem & Mersburgensem. Elector. Brandenburg. tenet Episco-
patum Halberstadenſem, Mindensem, Caminensem, Brandebur-
gensem, Havelbergensem & Libasienſem, & eidem concessa est
expectantia in Archi-Episcopatum Magdeburgensem *Inſtr. Pac.
Osnabr. Art. XI. §. similiter concedatur.* Alii alios tenent.

26. Superſunt tertiæ clasſis Status, Civitates nimirum. Hæ di-
viduntur in Scammum Rhenanum & Svevicum, & quodlibet Sca-
mnum habet unum votum, sententiasq; colligit Civitas, in qua ha-
bentur Comitia. *Sprenger. d. l.* Variè quidem à variis hætenus
disputatum est de earum suffragiis; aliis tribuentibus saltem illis
facultatem in medium consulendi, adempta potestate decidendi,
quæ tamen ab aliis propugnatur, de quibus omnibus vid. *Peucer.
§. Chron. Paurm. de Jurisd. 2. Groppius & Lauvius. Obrecht. de Ju-
rid. c. 6. n. 77. & seq.* Cæterum lis illa planè sopita est per Pacific.
Osnabr. art. VIII. sub fin. ubi Urbibus Imperialibus tam in univer-
salibus, quam Particularibus Dietis seu Conventibus Imperii non
minus, quam cæteris Imperii Statibus votum decisivum compete-
re dicitur. Quæ autem sint illæ Urbes, vid. *Matric. de Anno 1521. &*

G

Spren-

Sprenger. d. l. p. 371. ubi numerantur in Scamno Rhemano 28.
in Svevico 36.

27. De Controversiis inter Regem Sveciæ & urbem Bremensem
vid. Recess. Stadenf. de Anno 1654. Et Transactionem Bremensem
d. 15. Novembr. 1666., in qua renunciavit Brema juri Sessionis &
suffragii in Imperii Comitibus, usq; ad finem hujus seculi, cum Prote-
statione tamen, ut nulla Præscriptione Rex Sveciæ tueri finito hoc
seculo se debeat. Renunciavit etiam Juri Sessionis & voti in Con-
ventibus Circularibus inferioris Saxoniae, donec scilicet inter Re-
gem Sveciæ & Urbem Bremam vel aliud convenerit, vel Jure Statu-
tum fuerit, & quæ sunt alia, de illis vide ipsam Transact. Liberta-
tis suæ signum hæc Urbs affert statnam Rulandinam, quæ tenetur à
quamplurimis urbibus Germanicis, & ajunt vulgò, Carolum M.
dedisse eam in signum libertatis nonnullis Saxoniae Urbibus, cum
tamen nullius inferioris Saxoniae Urbis in historia Caroli M. fiat
mentio. Et in Germania nullam adhuc Urbem præter cis Rhena-
nas tempore Caroli M. fuisse, Colossos etiam Rulandinos longè
post annum millesimum erectos, omnesq; Urbes, in quibus illi vi-
dentur, post tempora Caroli M. primum exstructas esse, ex histo-
riis satis liquet. Neq; in solis Saxonice Urbibus statua illa hodie
tenentur, sed similes etiam in Marchia, altera Kinspergæ, altera
Prinslaviæ videntur. Omnium verissimum statuere videtur Gol-
dastus in Tract. de immunit. & Privileg. Reip. Magdeb., omnia,
quæ de Duce Rolando Caroli M. ex sorore nepote commentantur
historici, quasi ejus ope & Consilio pleraq; in Saxonia gesserit,
pro meritis habens, & nomen Rulandi non proprium,
sed appellativum esse dicens, quasi Rügeland / à vocabulo Rügen /
quod est causam proponere & sententiam pronunciare, *Faust.*
Aschaffn. de Erario cl. 17. cons. 46. sqq. unde hodieq; notum est in
judiciis vocabulum Gerichts-Rüge; item Nachtmord / bewiesener
Diebstahl / Nothzwang und Brand / dicuntur vier Haupt-Rügen. Item
Cent-Rügen / idem est ac Merum Imperium, Cent oder Hochgericht.
Quare & nos cum Goldasto fatemur quidem, statuam Rulandi-
nam esse signum fori publici causarum, Jurisdictionis, loci Justitiæ
sive Malli publici, *Eine Mahlstatt / da man frey Kaiserlich Gericht hält.*
A Carolo M. autem eam esse profectam, vel etiam imaginem eam
esse Ducis Rolandi, signum est, ut scilicet multa, quorum
origo

origo incerta est, referri solent ad tempora Caroli M. Et notum præterea est, quod debilitata paulatim Imperatorum & Regum in Germania potentia, pleræq; Civitates Provinciales hodie Jurisdictionem liberam non tam exerceant ex Privilegio Imperatorum, quam ex Concessione Principum, non obstante statua illa Rulandina.

28. Quomodo Civitates Imperiales *ἀνεργαίαι*, aliæq; quæ jus Comitiorum non habent, ad immediatatem pervenerint, videri potest apud *Conring. de Urbib. Germ.* Et apud *Lehmann. Chron. Spir. l. 4. c. 3.* legitur, quod Imperatores olim constituerint Civitatum Imperii Præfectos, eosq; sub Carolina stirpe seculares. Otto I. plurimas earum tutelæ Ecclesiasticorum commisit, quod usque ad Henricum IV. fere ita duravit, qui illas ab omni Præfectorum superioritate liberavit, plenam Civitatibus Imperialibus libertatem concedendo. Utrum autem multitudo illa liberarum Urbium Reip. conducat, nec ne? exponit liber anonymus, qui inscribitur de Statu Imperii restaurando, ubi putat autor, magnum fore remedium Reip. Germ., si Civitates illæ in Ordinem redigerentur, ita, ut Cæsar Præfectos suos in illis constitueret, daß die alten Reichs Voigteyen wieder einzuführen. Contra hunc editus est alius itidē liber anonymus, qui vocatur *Kurzher doch gründlicher Discurs*; uterq; liber meretur de hac re legi. Progredimur jam ad modum in Comitiiis observari consuetum.

29. Dicitur est supra, usq; ad Maximilianum I. Comitia à solo Imperatore instituta fuisse; à tempore Caroli V. verò fieri illud consuevisse consensu Electorum *R. I. Ratisb. de Anno 1576.* ibi: *Also haben wir mit Rath und Beliebung &c. August. Ann. 1582.* ibi: *Haben auff Gutachten und Rath.* Et jurat Imperator eligendus, quod in indicendis Comitiiis semper velit adhibere consensum Electorum, ut tradit Autor des Ausführlichen Berichts / wie es auff Reichstagen pflegt gehalten zu werden / his verbis: *Darauff ein jeder Kaysar nach seiner Wahl schweren muß / daß solches mit Vorwissen und Rath der Churfürsten geschehen soll*; Possunt etiam Electores, si exigat necessitas, Imperatorem rogare & admonere, ut Comitia indicat, *R. I. Ratisb. de Anno 1641.*

30. Exigente igitur usu Reip. universalem conventum, Imperator per Legatos cum Electorib9 de loco & tempore convenire so-

let, qui si non omnes in eandem sententiam inclinent, per majora
concluditur *Capitul. Ferdin. III. art. 7.* Ihren Willen sämptlichen oder
den mehrern Theil aus ihnen / und zwar auff eine Collegial Zusammen-
kunft / und nicht durch absonderliche Erklärung erlangt; illud namque,
quod habent, non habent ut singuli, sed ut Collegium, quod secun-
dum majora vota progreditur *Petr. de Andl. l. 2. c. 3. de Imper. Rom.*
& quando de tempore & loco cum Electoribus conventum est,
Status omnes & singuli convocantur; quod olim per generale Ed-
ictum fiebat, *Spec. Suv. p. 1. c. 39. Spec. Sax. lib. 3. art. 64.* Cum
autem propter raritatem comparentium Comititia nonnunquam
differenda essent, id quod contigit Friderico III. Francofurti An-
no 1442. & Norinbergæ Anno 1479. *Lehman. l. 7. c. 98.* inde à tem-
pore Friderici III. singuli Status per speciales convocari cœpere lite-
ras *Arum. c. 4. n. 2.* in quibus Ecclesiastici Electores vocari solent à
Cæsare Népotes, Neffen / Seculares verò agnati, Oheim. Uti verò in
his literis Imperator solet clausulis aliis rogandi, aliis jubendi, ut
Carolus V. aliquoties fecit; Et Rudolphus Anno 1594. hoc modo
scripsit circa finem: *Solchen jetztbeneldren Tag und Wahlstatt einer
gemeinen Reichsversammlung. Wir dero Lieb. mit diesem unserm Käy-
serl. Brieff angekündet / und dieselbe bey den Pflichten / damit Sie Uns
und dem Heiligen Reich verwandt und zugethan ist / gnädiglich ersucht und
ermahnet haben wollen / von Röm. Käyserl. Macht ernstlich befehlende
&c. annexa in fine clausula comminatoria; Und dero Liebde erscheine
also oder nicht / so soll doch nichts desto weniger mit den andern gehorsamen
Ständen zu Beschluß gehandelt werden; Und E. L. verbunden seyn/
was also beschlossen / so wohl / als ob sie zugegen gewesen / zu vollziehen / zu
leisten &c. Quod si verò Electorum vel Principum nonnulli sint mi-
norenes sive sub tutela, quod obtinet apud Electores usq; ad an-
num 18.; apud cæteros Principes verò usq; ad annum 25. tum citan-
tur eorum nomine Tutores, ut nota sunt varia exempla *Bertr. de
Comit. th. 41.* & vacantibus sedibus Episcopalibus Capitula Comi-
tiis inter sunt, quæ regulariter idem possunt, quod Episcopi, *c. un.
de Major. & Obed. in 6. c. 14. eod. Pacif. Osnabr. art. 5. n. 4.* Impera-
torem autem eligere non possunt, quia illud competit Electoribus
Ecclesiasticis, ut Principibus Secularibus; nec conferre Præbendas,
quia Personale illud est Episcopis.*

31. Solent.



31. Solent autem Status, qui ipsi Comititia adire volunt, ante Cæsarem adesse; Et quando Cæsar & Status convenerunt, salutato Cæsare à singulis Statuum, postquam Legati Principalium suorum absentiam excusarunt, Stato die solenni pompa & Comitatu Cæsar deducitur, ubi Cæsar in throno præparato sedens præmissa gratiarum actione per Secretarium tractationis materiam proponit, cujus capita Cancellarius Moguntinus & Secretarius norant; Quo factò Imperator, si præsens est, ipse; vel eo absente Commissarius Cæsareus Status ad seriam exceptæ propositionis deliberationem hortatur, & ut illud, quod ad communem Imperatoris & Imperii utilitatem vergat, non omittant, rogat; Et sic eadem pompa Cæsar ab Ordinibus & Legatis in Palatium suum reducit, & quilibet in suadiversoria deliberatum discedunt. Si quid etiam Legatus vel Protestando vel supplicando monere vel petere in mandato habet, illud Cancellario Moguntinensi sive ante, sive post propositionem tradit, annexa petitione, Statibus deferre & decretum petiti urgere non dedignetur *Sprenger. p. 96.*

32. Quemadmodum in tres classes Status dividuntur, ita Stato die in tribus Curiis separatis convenire solent, quarum prima est Electorum, in qua Moguntinus proponit & vota colligit, ultimo à Serenissimo Saxone vel etiam ab omnibus Electoribus interrogatus votum suum addit. Permissum etiam est hodie, cuilibet Electori habere in hoc conclavi Prothocollistam, qui, quid propositum, conclusum, & in alias curias relatum sit, notet, cum olim saltem Moguntinus Secretarius Præpositus fuerit Prothocollo.

33. Curia Principum in duo distinguitur scamna, Ecclesiasticum & Seculare; In Ecclesiastico sedent primum hi Seculares, Archidux Austriæ, & Dux Burgundiæ, quos sequuntur Ecclesiastici. In scamno Seculari sedent Principes seculares, quibus adjunguntur Comites & Prælati. Principum singuli singula ferunt suffragia. Comites & Barones vota habent quatuor juxta quatuor directoria Wetteravicum, Svevicum, Franconicum, & Westphalicum. Prælati & Abbatisse duo, unum ratione lateris Rhenani, alterum respectu Svevici.

34. Civitatum conclave dividitur in duo latera, Rhenanum & Svevicum, & habent ratione horum laterum duo etiam vota. In

his tribus classibus separatis sententia feruntur ferè viritim; Deinde verò in Coniunctis concluditur Curiatim; ita, ut si duas classes, vel quarumvis pars major, conveniant, res, quantum quidem est in Ordinibus, confecta sit Lampad. d. l. c. 8. & quod ita per suffragia inter Ordines conclusum est, ut commune consultum per deputatos deferretur ad Imperatorem, qui si cum Statibus nondum in omnibus conveniat, replicando, duplicando &c. proceditur, donec alterutra pars in alterius sententia acquiescat, & in unum coeant. Quod si ita communi consensu decretum aliquid est, devenitur ad publicationem illius, de qua audiendus est Lehmann. l. 7. n. 115. ibi: Und wann deñ also das ganze Concept verglitten / lasset man dasselbige zweyfach ingrosiren in der Rätzischen Canslen auff Pergament / und wird die Siegelung allererst auff die Rätzische Majestät gestellet / welches oben an einer gedoppelten Schnur geschicht / die hernach unter der Rätzischen Majestät Siegel von ein ander getheilet wird; und auff der rechten Hand siegeln die Geistliche / nemblich von aller geistlichen Churfürsten wegen der Churfürst zu Mainz / oder wo Ihre Churfürstl. Gnad. abwesend / dero Rätze einer / oder ein ander anwesender Geistlicher Churfürst; von wegen der geistlichen Fürsten / welcher zu gegen / und in Sessione seiner; oder dessen Rath einer / wo kein geistlicher Fürst zugegen; Tertio loco auff der rechten Seiten Siegelt ein Prälat. Auff der linken Seiten unter des Ratzers Siegel gegen Mainz über siegelt der Herzog in Böhmen; darnach ein weltlicher Fürst / darnach ein Graf. Schlich fasset man die zwey zertheilte Schnüre wieder zusammen / und darin siegelt zum Beschluß die Stadt / darinnen der Reichstag gehalten.

35. Facta igitur Revisione, Conclusionem, & Consignationem, à Caesarea Majestate ad publicationem Status vocantur in Curiam, ubi postquam Cancellarius Moguntinus decretum publicè perlegit, Imperator Status omnes hortatur ad exactam eius observationem; Et tum publicatur Recessus sub nomine & autoritate Imperatoris hoc modo: Wir von Gottes Gnaden Leopoldus der erste dieses Namens / erwählter Römischer Rätz &c. thun Kund jedermänniglich.

36. Vocamur jam ad Res, de quibus in Comitibus statuitur. Sunt illae quidem variae, possunt tamen referri ad duas classes, ita ut aliae concernant ad ministracionem Reip. internam, ut sunt Leges; aliae Externam ut sunt deliberationes de Bello, & quae exinde proveniunt.

veniant. Legum Cura versatur vel circa Sacra, vel circa Profana, & de utrisque Jus vel Constituitur vel redditur.

37. Potestas circa Sacra tota olim fuit Imperatoris, inde à tempore Pacificationis Relig. autem delata ea est ad Comitiam, Legi hic metetur Franc. Barchard. *anon. part. 3. c. 37.* Nec ea hodie Pontifici cōceditur, quamvis ille cum a seclis suis multa haftenus molitus sit & adhuc hodie machinetur ad recuperandam omnipotentiam suam in sacris vid. *Anton. Benbell. de Godentiis in suscitabulo Principum passim. Dommar. von Disfingaw de autonom. addi etiam potest scriptum anonymum, quod vocatur Reißender Jesuiter Wolff unter dem Schaff-Pelz Christlicher Gansstunth verborgen / in quo Jesuitæ vocantur Svecorum Seductores, Gallorum Sicarii, Anglorum Proditores, Imperii Germ. exploratores, Hispaniæ Davi, Italiæ adultores. & part. 1. aphor. 4. eod. videri potest, quomodo Potestas Pontifici adscribitur & mutandi & interpretandi pro lubitu scripturam sacram. Carolus Ruinus *consil. 109. n. 1. vol. 5. ait: Pontificem posse contra Epistolas S. Pauli decreta & Ordinationes constituere; & Antonius de Rosellis in Tract. de Conciliis Pontificem Superiorem & Majorem Apostolo Paulo esse docet. In Actis Concilii Tridentini cap. 22. act. 23. fol. 172. & sq. expresse statuitur, quod Ecclesiæ potestas & dignitas in Sacramentis constituere & mutare queat, quid ex usu videatur ipsi; In Concilio Constantiensi etiam additur hæc clausula; Non obstante Christi institutione; ideoq; vocatur à Luthero Concilium Obstantiense. Præterea Cardinalis Hofius Polonus de expresso Dei verbo fol. 622. sub fin. hæc habet: Sacra Scriptura, nisi ex mente Ecclesiæ Romanæ explicetur, non Dei, sed Diaboli verbum expressum est; cum quo collimat, quod Sylvester Prierias in *Epitom. Respons. ad Lutherum cap. 7. tom. 1. Oper. Luth. fol. 69. habet, quod scilicet doctrina Ecclesiæ Romanæ & Pontificis sit unica & infallibilis fidei regula, quodq; à Pontifice Sacra Scriptura vim habeat; Et quicumq; hoc non credat, sit hæreticus. Cum itaq; hujusmodi blasphema & impia scripta atq; dictoria multorum piorum oculis tenebrarum pepla non potuerint non detrahere, puræ Evangelicæ doctrinæ luce rediviva jam in Germania nostra lucente, Cura Sacrorum ad Comitiam delata est, & quin Cæsar cum consensu Ordinum, excluso Pontifice, Concilium in Germania conscribere possit, dubium non est. Nec obstant.***

obstat, quod in Concilii Sardicensis præfatione, quod sub Constante & Constantino, Constantini M. filiis, hoc Orientis, illo Occidentis Imperatoribus Anno C. 352. præterpropter habitum est apud Sardicam Illyrici Urbem, Papæ præsidium tribui videatur; Hoc enim Concilium à Veteri Ecclesia pro Oecumenico nunquam habitum est, & ne nomen quidem illius Augustino innotuit. Decretum etiam illud Osi, ut scilicet de Controversiis liceret ad Romanum Episcopum referre, per Ecclesiam non fuit servatum vid. *Lipstorp. de Monarchia Ecclesiast. c. 11. n. 6.* Dictatus Hildebrandi etiam Paparum causam nihil juvant.

38. In Protestantium Statuum ditionibus singulis Statuum competit Cura Religionis ex *Patif. Relig. de Anno 1555.* Et quamvis hoc seculo multum disputatum fuerit de Episcopatibus & bonis Ecclesiasticis restituendis, res tamen per Transact. Osnabr. & Monaster. pro Protestantibus decisa est, licet restricta sit ad Statum anni hujus sec. 24. Et cum ita Status in ditionibus suis habeant potestatem & constituendi & reddendi Juris in Sacris, instituunt Ecclesias & Scholas, iisque Ministros, qui verbum divinum purè doceant & Sacramenta ritè administrent, præficiunt, eaque omnia agunt, quæ ad conservandam Religionem, verumque Dei cultum faciunt.

39. Constituuntur verò Parochi vel *immediatè*, quando scilicet Deus sine hominum interventu ministros mittit, quod hodie non amplius fit. Vel *Mediatè*, qualis constitutio hodie obtinet; & fit quinque; cum primis modis; *Nominatione, Electione, Præsentatione, Confirmatione, & Ordinatione.*

40. Nominandi potestatem habent Patroni ob fundationem, ædificationem vel Ecclesiæ dotationem, juxta illud: *Patronum faciunt dos, ædificatio, Fundus.* Electio est ejus, quem Patronus nominavit & exhibuit, ab Ecclesia acceptio. Jus Præsentandi itidem est Patroni, qui si Clericus est, intra sex; si verò Laicus, intra quatuor menses vacantis Ecclesiæ electum ab Ecclesia Episcopo præsentat; quo tempore elapso, si neminem exhibeat Patronus, Episcopus consentiente Ecclesia ministrum instituit. Confirmatio est solius Episcopi, qui præsentatum à Patrono examinari, & si dignus videretur, à Præposito, Superintendenti vel Inspectore, qui hodie munus Metropolitanorum fere exercent, ordinari & consecrari curat.

41. Quati

41. Quæri hic solet; *Utrum Patronus præsentare possit aliquem, qui diversus sit à Principis sive Episcopi Religione?* Negatum illud est à multis, eò, quod ille non foret minister idoneus. Verùm ex dispositione *Transact. Osnabr. art. VII.* respondemus, in hoc cujusvis ditionis & Ecclesiæ Statuta & Privilegia spectanda & observanda esse. Et ubi diversa à Principis Religio obtinet, quin ibi ejus Religionis minister præsentari possit & debeat, dubitare fatuum sit. Hæc ferè sunt, quæ apud Protestantes observari solent circa vocationem ministrorum verbi divini. Legi hic meretur libellus de Communionè per Symbola, cujus autor est Grotius, & qui cum hoc facit, Nicolaus Rigaltius Bibliothecarius Regis Galliarum, contra quem scripsit Gabriel Albertus Spinæus Episcopus Gallus: Et contra Grotium attulit nonnulla Dionysius Petavius.

42. Ad Sacrorum Curam pertinet etiam immunitatum tum personarum, tum bonorum Ecclesiasticorum conservatio. Immunitas Personarum sive Ministrorum Ecclesiæ, in eo cumprimis consistit, quod in Personalibus sint exempti à Jurisdictione secularium, & solis Judiciis Ecclesiasticis sive Consistoriis subiciantur; unà cum Ecclesiæ bonis etiam liberi sint à publicis oneribus, indictionibus, Censitionibus, Tributis & aliis pensionibus *c. nullus de foro Compet. Auth. statuimus C. de Episc. & Cler. c. presenti de Censib.* Hanc Clericorum exemptionem ex Concilio Sardicensi in Germaniam videtur introduxisse Carolus Magnus, quod patet ex Capitulari Ansegisi *l. 5. Capitul. 237.* ibi: *Sancitum est, ut nullus Episcopum aut Sacerdotem, vel Clericum apud Judices publicos accusare præsumat, sed apud Episcopos: Ipsi tamen Episcopi judicio non præcederunt, nec bona administrarunt, sed factum illud est per constitutos Advocatos, Vice-Dominos, RastenVoigtei qui ad id constituebantur ab Imperatoribus. Ipsi Episcopi causa vel in Synodo, vel apud Metropolitanum agitata fuit per Capit. 234. l. 7. Data tamen Episcopis pariter & aliis Clericis licentia provocandi ad Primate[m] Diæceseos, vel ad Papam ut docet Capitul. 241. l. 7. his verbis: Quod si adversus Provincia Metropolitanum Episcopus vel Clericus habuerit querelam, petat Primate[m] Diæceseos, ut apud ipsum ju-*

H dicetur;

dicetur; aut apud Sedem Apostolicam. Ubi notandum Primatum & Metropolitanorum dignitatem non eandem, sed hac illam superiorem fuisse. Quicquid autem potestatis habuerunt Episcopi & reliqui Clerici, illud omne per Privilegium habuerunt ab Imperatoribus & Regibus, qui cum Missi Regii & Comites, temporalem saltem potestatem habentes, iniquitatem non raro exercerent, illorum Jurisdictione Episcopos & Clerum omnem exemerunt, manente nihilominus summa Imperatoris potestate tam in Clericos quam Laicos. Et hoc obtinuit usque ad Gregorium VII. Sub hoc quippe monstro toti Germaniæ nunquam satis execrando erepta omnis in Clericos & eorum bona potestas non saltem Imperatoribus, sed etiam Metropolitanis, ad solum Pontificem nequissimis artibus tracta est, & ab eo tempore fulmen excommunicationis in ipsos Caesares vibrarunt Pontifices, quod insolens sanè, & Majestatis crimen antè fuerat. Et legitur adhuc hodie in Jure Canon. *c. solita §. praterea de Maj. & Obed.* quod Pontifex tantum præstet Imperatori, quantum sol Lunæ, aurum plumbo. Verum ad hæc bene respondet *Daniel Otto de Jur. Publ. c. 24.* hoc modo: *si Papa est Sol, & Luna Imperator, quinque reliqui Planetae relinquuntur Jesuitis, Mercurius propter linguæ volubilitatem. Venus propter libidines. Mars propter seditiones & bella. Jupiter propter dominandi cupiditatem; & Saturnus propter inquisitionem & bella; atque ut Sydera erratica ab Ecliptica, quæ via solis est, recedunt, ita & illi à Duce Jesu aberrant, ex Simon. Stenio in Resp. ad apolog. Jacob Gretf. vid. plur. ap. Otton. d. l.*

43. Hujus autem Exemptionis Paparum cum suo Clero, argumenta gravia, si Diis placet, putidissima dixeris potius, audi *foedes ex Florentio Wigornienfi in Chron. ann. 1121.* referente, quod paucis post Hildebrandum annis Urbanus Papa anathemate percussit eos, qui pro impetrandis Ecclesiasticis honoribus Laicorum Jurisdictioni se subjicerent, in hæc erumpens verba; *Nimis execrabile videri, ut manus, quæ in tantam eminentiam excreverunt, ut (quod nulli Angelorum concessum) Deum cuncta createntem suo signaculo creent, & eundem ipsum pro redemptione & salute totius mundi summi Dei Patris obtutui offerant, in hanc ignominiam detrudantur, ut ancilla fiant earum manuum, quæ die ac nocte obscenior*
Contacti-

Contactibus inquinantur, sive rapina ac injusta sanguinum effusioni addicte commaculantur. Quæ verba utrum blasphema in Deum magis, an verò injuriosa potius in omnium Regum atq; Principum Majestates dicenda, meritò dubites. Non tamen Hildebrandinis illis sectatoribus omnia ex animo evenerunt; sed à sequentibus nonnullis Imperatoribus potestas illa in Clericos & eorum bona multis modis propugnata est, cum primis autem vindicarunt eam Lotharius Saxo & Fridericus I., quorum hic ab ipsius Papæ bonis per Italiam publica tributà exhiberi sibi iussit, frustra conquerente Papa Adriano; ut habet *Radevicus l. 4. de rebus gestis Frider. I. c. 34.* Cæterum cum Friderico II. omnis hæc potestas concidit. Extat hac de re *authent. in C. de Episc. & Cler.* perniciosissima, quam Fridericus II. adolescens adhuc & rerum ignarus, ab Honorio Papa inductus, confirmavit. Pœnituit tamen eum postmodum hujus facti, & revocare illud voluit, verùm Pontificum dolis & excommunicationibus deterritus, omnibusq; fere bonis exutus fuit; Et post eum omnia in Imperio confuse gesta sunt. Atq; inde usq; à Friderici II. temporibus Papæ Imperatoribus ne hilum quidem Juris in Clericos & eorum bona concesserunt; Quinimo nonnunquam occultis artibus Principum secularium causæ tractæ sunt ad forum Papale, de quibus videri potest Epistola Friderici II. ad Proceres & Populum Gallix apud Johannem Barclaium in *Vindiciis contra Bellarminum pro patre Guilielmo, in epilogo;* & quod maximum est, in ipsos Reges & Cæsares nostros profanorum negotiorum causa Jurisdictionem Pontifices cæperunt exercere. Appellatum etiam est hoc seculo in nonnullis Germaniæ locis ab Officiis ad Pontificem & Nuncios ejus, de quo conquesti sunt Status in Comitibus Ratisbon. *de Ann. 1654. R. I. §. 164.* Et hi sunt monstrosi illi partus, qui ex Papæ & ejus Cleri exemptione propullularunt.

44. Duravit hæc Paparum iniquitas usq; ad Maximilianum I. quod videre licet ex gravaminibus secularium Principum Carolo V. Cæsare in Comitibus Norinbergensibus Adriano Papæ transmissis. Et cœpit sanè Carolus V. pristina Reip. Jura feliciter vindicare; de causis quippe ipsam etiam Religionem concer-

nantibus pro re nata constituit, nihil curans literas increpato-
rias à Papa Paulo III. transmissas. Et cum Johannes Episcopus
Hildesienfis contra Leges Pacis publicæ impetum fecisset in Du-
ces Brunsvicensis, proscriptus fuit à Cæsare Anno 1521. ex de-
creto Ordinum Imperii, Ducibus Brunsvic. bonis Episcopo
ereptis in feudum concessis. Possunt hac de re legi *orationes*
Johannis Duditii cum insignibus Commentariis. Hoc sec. etiam à
Ferdinand. II. Cæsare cum in Cardinalem Cleselium, tum in
ArchiEpiscopum Trevirensen manus injectas esse, notum est;
quod factum anathemate solet ferire Papa die Cœnæ Dominicæ.
In ipsa etiam Italia Dux Hetruriæ, item Parmensis & alii Italiæ
Principes, item Resp. Veneta & Lucensis in personas & bona Cle-
ricorum animadvertunt, & de bonis Ecclesiasticis disponunt,
propter quod bella varia inter Papam & dictas Respp. gesta sunt,
juxta habitis Paparum Anathematis. Cum primis vero ann. 6.
hujus sec. inter Papam Paulum V. & Remp. Venetam in Italia
magni nati sunt motus. Cum enim Veneti nonnullos nequis-
simos Clericos sodomitico scelere infectos punirent, & de bonis
eorum constituerent, eo se valde lædi existimavit Papa, adeoq;
Venetos interdicto subjecit, quod tamen Veneti non curarunt;
sed Jesuitas Edicto publico Venetiis exesse jusserunt, nisi quod
paucis abhinc annis quosdam cum certis conditionibus iterum
repperint. Leguntur hi motus apud Thuanum. Editus est
etiam à Jesuitis liber, dictus scrutinium, de hac re. Bellum Ita-
licum etiam inter Papam Urbanum VIII. & aliquot Principes Ci-
vitatesq; Italiæ confœderatas iisdem de causis ortum est. Simi-
liter Dux Hetruriæ interdicto subiciebatur à Papa, quod tribu-
tum à Clero exegisset, quod tamen ille non curavit. Eodem
modo Principes & Status Protestantes in suis ditionibus exer-
cent potestatem in Clericos & bona sacra. Ut enim Cleri quædam
exemptio hodie servetur, parum tamen refert, cum Judicia Ec-
clesiastica eorundem Principum & Dominorum autoritate ex-
erceantur, quorum auspiciis administrantur Judicia secularia.

45. Cave tamen bonorum Sacrorum quicquam in usum priva-
tum vel in luxus etiam convertas. Exempta enim ea sunt pro-
miscuo rerum Commercio, ac in patrimonium Christi demi-
grasse

grasse dicuntur, & disponunt de illis Principes & Status, non ut domini proprietarii, sed ut Tutores & Nutritii Ecclesie, Jure Civili etiam res sacras alienari prohibitas esse constat ex *l. 14. C. de sacrosanct. Eccles. & aliquot Authent. ibid.* quod tamen ita nudè intelligendum non esse, ipsa nos docet natura. Et verò, quicquid bonorum & rerum sive mobilium sive immobilium à Deo conditum videtur, illud omne ad conservationem hominis atq; societatis humanæ conditum, adeoque hominibus propriè servire, ex ipso opere Creationis notum est. Crescente verò unà cum hominum multitudine divitiarum & bonorum quoque copia, jubebantur homines ab ipso Deo exstruere ædes sacras, in quibus verus Dei cultus meliori ordine & devotione peragi posset; His accedebant vasa & vestimenta cultui divino dicata. Eodem modo in Ecclesia Christiana ad cultum Dei exstruuntur templa, & Sacramentorum usui vasa destinantur, vestes etiam sacerdotales multis in locis parantur; quæ res omnes dicuntur sacræ, quia sacratæ sunt cultui divino. Sunt præterea aliæ quoque, quæ sunt saltem quasi sacræ, res scilicet vel iis, qui cultui divino præsent, alendis, vel iis, quæ cultui divino necessaria sunt, parandis destinatæ; qualia bona sunt Ecclesie Patrimonialia, prædia rustica & Urbana, decimæ, redditus, pecunia & similia, quæ omnia ita debent esse comparata, ne iis impediat ratio conditionis humanæ. Contra naturam enim peccaverit Princeps, qui subditos exigui aliàs census, ad splendidas ædes sacras exstruendas adigere vellet. Factum tamen est, ut multis in locis ex pia quadam intentione vel non raro vanis persuasionibus, Monasteriis & Ecclesiis multa prædia aliq; redditus donata, & his largioribus donationibus Reip. non parum detractum sit. Quin igitur ejusmodi redditus atq; prædia, superflua cum primis, in usum Reip. converti et tributisq; subjici possint, dubium non est. Ita David urgente necessitate panes propositionis sumsit & comedit *1. Reg. 21. v. 6.* Nota etiam sunt exempla *Asæ 3. Reg. 15. Joæ 4. Reg. 12. Ezechie 4. Reg. 18.* qui aurum & argentum & alia Deo sacrata abstulerunt. Ita etiam Rehabeam ex iis, quæ Pater

consecraverat, quædam convertit in usum Reip., ut scilicet hostem placaret. Sic utique licet tributa exigere à bonis Ecclesiasticis. Et propterea modum tributorum acceperunt bona Ecclesiastica in Comitibus Augustanis Anno 1355. *Recess. S. Mss auch den.* Et Jus collectandi in bona Ecclesiastica competit etiamnum hodie Principibus & Statibus Imperii. Rex Hispaniæ etiam à Clero ingens quotannis tributum accipit, licet illud consensu Pontificis exigat.

46. De Præbendis & Canonicatibus quæsitum est hæcenus & adhuc hodie ambigitur, utrum bona illa sint verè Ecclesiastica, & iisdem immunitatibus tum personalibus, tum realibus gaudeant? Extat liber de Canonicis & Canonicatibus, anonymus quidem, autor verò illius fuit Coadjutor quidam Ecclesiæ Brunsvicensis; Et est scriptum nimis rigorosum, dixerim ferè iniquum. Conatur enim ostendere, id genus vitæ, quod hodie vocatur Canonicum, neque esse Ecclesiasticum, neq; Civile, sed impium, inutile & detestandum. Certum quidem est omnes Clericos dictos olim fuisse Canonicos, à Canone sive regula præscripta, secundum quam vitam instituere tenebantur, quod institutum Cl. Conringius putat cœpisse in Africa tempore Augustini Hipponensis, cui valde accepta fuit ratio vivendi monastica. Et idem placuit postmodum toti fere Occidentali Ecclesiæ, & ubicunq; in Germania instituti sunt Episcopatus, adjuncti fuere Canonici, quorum alii Deo psallerent, alii scholarum, alii aliarum sacrarum rerum curam haberent, & à conjugio abstinerent; Hinc in Germania omnes Episcopatus habuerunt adjuncta ædificia, dicta Monasteria, in quibus Canonici habebant commune refectorium atq; dormitorium. Ab hac regula vivendi autem cœpit discedi tempore Henrici II. præter propter initio factò in Episcopatu Halberstadensi & Bremensi, & paulo post etiam in Episcopatu Trevirensi. Eodem fere tempore tria Monasteria, Bremense, Hildesense & Trevirensis, uno tempore conflatarunt quorundam incuria, & ex eo tem-

tempore cœperunt Canonici quilibet habere suas ædes. Deinde cum Jus eligendi Episcopum accepissent Canonici, & bonis aucti ab Episcopis lubinde fuissent, ab antiquo instituto ferè decessum est. Nec tamen propterea vitæ genus Canonicorum omnium dixeris impium. Majoris enim Ordinis Canonicatus magnam partem etiam instituti sunt tum ad conservandas nobiles familias, tum ad instigandos nobiles ad solidæ eruditionis atq; virtutis acquisitionem, quò præclaris artibus imbuti Imperatori & Principib; consiliis adesse, & Reip. curam gerere possent, inde tenentur destinatum tempus vitam agere in Academiis. Sic etiamnum hodie Canonicis, qui ad Capitulum summum Episcopale pertinent, æquè ac Episcopo, Reip. cura incumbit, adeoq; bona illa non iniquè usurpantur, cum in usum Reip. convertuntur. Quapropter Lampadius *d. l. c. ii. §. 47.* dicit hosce Canonicatus habere insignem usum in Civili societate. In eo autem cum Lampadio facere nequimus, quod hoc vitæ genus refert penitus ad Civile, eò, quod Canonici non obeant munus docendi in Ecclesia, quod tamen proprium est Sacerdotum. Cura enim Ecclesiæ non saltem consistit in docendo, sed in aliis quoq; rebus, ut scilicet certis horis in Ecclesia preces fundas, vel psallas, ad quod sanè obligantur Canonici. Et ut rem paucis complectamur, usus laudatur, culpatur abusus.

47. Progredimur jam ad Res Profanas, seu potius leges, quæ de rebus profanis feruntur. Solent illæ distingvi in publicas atq; privatas; Per has intelliguntur Privilegia & immunitates, de quibus dictum est supra *c. 2. §. 30.* Ad leges publicas pertinent omnia de quibus communis Reip. salutis & tranquillitatis internæ conservandæ causa in Comitiiis statuitur, & de his cum itidem supra *d. c. 2. §. 32.* dictum sit, eandem crambem hic non recoquemus.

48. Et hæc de Comitiiis, eorum loco, Personis, modo & Rebus dixisse sufficiat. Quod autem in Comitiiis ab Imperatore & Statibus dicto modo universaliter constitutum est,

est, illud quilibet Statuum in ditionibus suis vi Superioritatis
promulgant & executioni demandant; Cum etiam Leges si-
ne applicatione atque executione habeantur pro nullis, &
vis Legum tum demum se exserat, si in actum deducantur.
ideo instituta sunt in Imperio Judicia, per quæ Jus & Justitia
secundum Imperii Leges cuilibet ex æquo administratur,
de quibus in sequentibus.



Wittenberg, Diss., 1667


ULB Halle 3
004 716 299



7

WMA







13583

7.7.
De
1667
62
6/1

RATIONE STATUS REIP. GERMANICÆ

PARTEM PRIOREM,
Consensu Magnifici Jctorum Ordinis in Illustri
ad Albim Academia,

SUB PRÆSIDIO
RECTORIS MAGNIFICI
VIRI NOBILIS, EXCELLENTISSIMI, AMPLIS-
SIMI, CONSULTISSIMI Q;

DN. JOACHIMI NERGERI,
Gryphimonte Silesii, D. & Pandect. Prof. Publ. Curia
Electoralis, Scabinatus ac Facultatis Jurid. nec non Ducalis
Judicii in inferiori Lusatiâ Assessoris
Gravissimi,

Patroni sui summo observantia cultu atatem prosequendi,
Publicè placideq; ventilandam proponit

AUTOR

MATTHIAS Keller / Croppenst. Hemipolit.

In Auditorio Jctorum

Ad d. 5. Septembr. Octobr.

WITTEBERGÆ,
Typis MICHAELIS Wendt/
Anno M DC LXVII.

31.

